



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Ioannis Macherentini Societatis Iesv Theologi,
Explanatio Catechismi Catholici**

Macherentinus, Johannes

Colon., 1612

Capvt Quartvm. De Sacramentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39397



CAPVT QVARTVM.

DE SACRAMENTIS.

E *An Sacramentis Deum colimus?*
 Tiam; protestamur siquidem illis, uti exterioribus signis, fidem nostram, Deum-que inuocamus: Est enim in Baptismo confessio quædam imperfectionis nostræ & peccati, ac spes diuinæ gratiæ consequendæ. Atque hac ratione sunt opera nostra in Dei honorem ordinata. Quatenus verò habent etiam promissionem Dei, de gratia atq; donis suis per ea consequendis, verbi gratia, in Baptismo, de ingressu in regnum cælorum, magis sunt diuina quædam opera & instrumenta ad sanctificandos homines; ut ijs nos potius Deus colat, mundet ac sanctificet. In cæteris Sacramentis idem obseruare licebit.

Quis venerabilium Sacramentorum institutor?

CHRISTVS Dominus noster: non Apostoli, non Ecclesia: solius enim CHRISTI est, decernere quibus modis & instrumentis

tis à Deo iustificemur, & sola virtus passionis Christi in ipsis operatur.

Quæ sunt in singulis Sacramentis consideranda?

Materia, forma, minister, suscipiens, utriusque dispositio, significatio, effectus, ac denique ritus, ac cæremoniæ Ecclesiasticæ.

Quid significant Sacramenta nostra?

Tria potissimum: Primò, causam & originem sanctificationis nostræ, quæ est Christus eiusq; passio; & sic sunt signa rememorative.

Secundò, sanctificationem nostram quam operantur, & sunt signa indicatiua.

Tertiò, finem ad quem per ea ordinamur, & sic sunt prognostica.

Quis est Sacramentorum nouæ legis effectus?

Primò, omnia quidem ex opere operato, id est, Christi institutione gratiam conferunt, & multo quidem copiosiore, quam sit virtutum & donorum Spiritus Sancti.

Secundo, quædam etiam characterem, seu signum quoddam in animam, indelebile imprimunt, ut in singulis erit manifestum.

DE

DE BAPTISMO.

*Pet. de So-
to de Sa-
cerd Inst.
Ioan 3.*

Quæ sunt Baptismi partes?

Materia seu elementum est aqua ex Christi institutione. Forma verò seu verbum: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Quare aqua?

Hoc elementum propter communitatē & abundantiam, & naturales eius proprietates, ac mysticas significationes, ad hoc Sacramentum maximæ necessitatis, ab ipso Deo electum est.

Quid forma significat?

Exprimitur in ea actus baptizandi, & sanctissima Trinitas, tanquam causa prima quæ in Baptismate operatur.

Quis Baptismi minister?

Proprius quidem Sacerdos est: in articulo autem necessitatis potest quiuis baptizare: si quis verò non Sacerdos extra necessitatem baptizauerit, peccat proculdubio, & mortaliter.

Quis est capax Baptismi?

Omnis qui natus est, siue sit paruulus, siue adultus.

Quæ est dispositio in ministrante & suscipiente necessaria?

In ministro necessaria est ad veritatem Sacramenti, intentio faciendi, quod ex instituto Christi, Ecclesia facit: ut verò non peccet, etiam hoc necessarium est, ut non faciat ob malum finem. In suscipiente adulto ad veritatem Sacramenti intentio suscipiendi Sacramentum: recta verò fides, propositum non peccandi, & mutandi vitam, ut fructum consequatur Baptismatis, & minister non peccet.

In pueris, & ijs, qui nunquam habuerunt usum rationis, nec ipsorum, nec parentum voluntas necessaria est ad Sacramentum, sed ad rectum usum Sacramenti voluntas parentum, aut eorum quibus commissi sunt, professio susceptorum, & quoddammodo fideiussio requiritur.

Quis Baptismi effectus?

Primus & proprius est, plena atque perfecta peccatorum omnium remissio: quod significatur.

Ezech. 36. Primo, ipsa lotionem, de qua Ezechiel: *Esfundam super vos aquam mundam, & mundabimini.*

Deinde ipsa forma: *Ego te baptizo, &c.* Cui enim dicitur *Baptizo te*, significatur totius hominis ablutio, non corporis tantum: Cum
addi-

additur, in Nomine Patris, &c. significatur supercelestis & diuina plane mandatio. Illud namque, in Nomine, dupliciter intelligi potest: vel vt sit idem tanquam minister, & potestate accepta à Patre & Filio, &c. vel subinuocatione, & in honorem & laudem nominis diuini. Hic effectus Baptismo conuenit, vt est configuratio quædam mortis & sepulturæ Christi, vt æstimemus nos mortuos esse peccato, sicut & ipse mortuus est similitudini carnis peccati. Est itaque Baptismus verum illud rubrum mare sanguine Christi aspersum, in quo Ægyptij omnes submerguntur. *Rom. 6.*

Quis secundus?

Gratiæ Dei & virtutum omnium collatio: quem etiam aqua ipsa virtute sua, quia fecundat, & perspicua est, significat: vt videlicet non sit anima nostra sterilis, vt terra sine aqua, sed inebriata potius & infusa, & potens germinare. Est lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde. *Tit. 3.*

Quis tertius?

Vera vnio ad Christum caput nostrum, & insertio quædam. Quotquot enim in Christo baptizati sumus, Christum induimus. Et vitis est Christus nos pslmites. *Galat. 3.*

Quid hinc colligimus?

S 5 Pet

*Aug. lib. 1.
de peccate-
ru. & re-
miss. c. 27.
& 28.*

Per hoc Sacramentum in nobis effici, & produci omnes effectus passionis, & Redemptionis Christi. Venit autem ille, viuificare, soluere, liberare, illuminare, redimere à morte ab infirmitate, à seruitute, captiuitate, & tenebris, adoptare nos in filios Dei, regnum cœleste aperire, Spiritum suum nobis participare, & ad regnum cœleste perducere, quæ omnia proculdubio in Baptismo & significantur, & efficiuntur.

Cur non potest hoc Sacramentum iterari?

Primò, Baptismus est Spiritualis quædam generatio, & mortis Christi plena configuratio: Hominem verò tantum semel generari contingit.

Secundò, Christus mortuus est semel, sacrilegium itaque esset iterum baptizari.

Tertiò, Accedit quod character semper maneat, & peccatum (in cuius remedium propriè institutus est) originale videlicet, repeti non possit.

In pœnitentia, Eucharistia, & alijs Sacramentis, etiam Passio Christi significatur, & eius virtus applicatur animæ, non poterunt ergo iterari?

In Sacramentis & eorum effectibus, magis considerandus est modus significandi, & efficiendi, quam res significata. In pœnitentia & Eucharistia significatur passio Christi,

vt medicina & cibus, quæ frequenter adhiberi solent, ac proinde iterari possunt.

Cæremonia Baptismi ad quid referuntur?

Ad Baptismi effectus, & nostram obligationem declarandam. *Ex. 4. lib. Inst. Fran. Coster.*

Cur consecratur aqua?

Ex Apostolorum institutione consecrari solet, vt aiunt, B. Dionysius Ariopagita, D. Basilius, & D. Augustinus infuso sacro unguento: ad significandum, his aquis conferendam gratiam Spiritus Sancti ad peccatorum ablutionem. Imponitur iisdem aquis cereus Paschalis, qui significat Christum post passionem suam, nouo lumine & glorioso corpore rediitum, quinque splendida vulnera, ceu quinq; odoriferi thuris globulos gestantem. Quia per eius passionem, mortem & resurrectionem, potestas abluendi sordes peccatorum, est aquis cõcessa. Ceterû bis quotannis hic fons Baptismi consecratur; pridie Paschæ & Pentecostes (qui dies olim baptizandis catechumenis deputati erant) quia Christi mors & resurrectio, & Spiritus sancti gratia in Baptismo operantur. *Cap. 2. Eccl. Hierarch. li. de Spiritu S. cap. 25. & Tract. 118. in Ioannē.*

Qui sunt ritus baptizantium?

Primò, defertur baptizandus ad fores Ecclesiæ; quia in domum Dei non meretur ingredi, qui peccatorum sordibus est conspur-

spurcatus: *Domum enim Dei decet sanctitudo, in*
Psal. 92. longitudinem dierum. Atque hoc loco catechi-
 zatur, & exorcizatur, id est, proponitur ei fi-
 des Ecclesiæ Catholicæ, vt sciat quid sit in
 posterum ei credendum: & varijs orationi-
 bus adiuratur dæmō, adhibita etiam lectio-
 ne Euangelij & exsufflatione, per quam de-
 pellitur diaboli potestas inimica (ait D. Au-
 gustinus) qui hactenus infidelem possedit.
Lib. 1. de Symb. c. 1. Deinde imprimitur crucis signum fronti,
 pectori, oculis, auribus, alijsque sensibus: vt
 sciat.

Primò, Sacramento Baptismi in animam
 imprimi signum Christi, id est, characterem
 indelebilē, quo & in die iudicij fuisse Chri-
 stianus agnosceretur.

Secundò, aperiri sensus omnes ad agnos-
 cendum verum Deum, & Dominum IESUM
 Christum.

Tertiò, omnibus sensibus & potentijs,
 Christi fidem, & Catholicam, esse palam
 profitendam.

Quartò, Christiano homini non Dæmo-
 nis, sed CHRISTI crucem esse ferendam.
 Christianam etiam vitam non esse delitijs
 plenam, sed laboriosam, ac proinde non ef-
 se mirandum Christiano, si in hac vita mul-
 ta tristitia & aduersa patiatur, quod ista sit
 vocatio nostra.

Quintò, Corpus ipsum effici habitacu-
 lum

lum Spiritus Sancti : quia ex signo externo præfixo domui, cognoscitur, quis in ea habitet, & quid operis in ea agatur.

Cur datur degustandum sicut benedictum?

Primò, ad significandum, quod à putredine & fœtore peccatorum omnium liberetur, ut à vermibus peccatorum vltra non putrefiat, sed magis illæsus seruetur, ad maiorem gratiam percipiendam.

Secundò, quod ipsi gustus detur rerum Spiritualium, ne illa posthac insipida sint ei, quæ in Ecclesia traduntur, sed potius delectetur, videat, & gustet, quam suavis sit Dominus.

Tertiò, quod veram accipiat, & diuinam sapientiam, in omnibus actionibus adhibendam, ne quid imprudenter, temerè, aut irreligiosè agat. *Sal sapientiæ* (ait Beda) *quo in-* *Lib. 2. in
1. Esdræ.
cap. 7.*
tiantur Cathedumeni, in cunctis operum nostrorum sacrificijs offerre iubemur.

Quartò, quod per gratiam Baptismi, & corpus ipsum liberabitur aliquando ab omni corruptione.

Postquam baptizandus in Ecclesiam indu-
citur, quid fit?

Initio tanguntur à Sacerdote nares & aures saliuæ, prolatis Christi verbis, quibus aures & linguam surdi & muti tangens usus est, *Ephata, quod est, aperire*: tali contactu significando.

Primò,

Matth. 7.
Ambr. lib.
1. de Sacra.
cap. 10.

Primò, quod iam verum ac viuum efficiatur Christi membrum, cum reliquo corpore capiti adhærens.

Ioan. 10.

Secundò, quod aures internæ aperiatur, ne ad diuinas promissiones, comminationes, aut admonitiones obsurdescat, sed facillè intelligat vocem Domini & pastoris sui iuxta illud: *Oues meæ vocem meam audiunt*: vt norit discernere vocem Pastoris à voce alienorum, & Spiritum Christi à spiritu Pseudoprophetarum: atque vt audiat mandata Domini sui, eaque in intimo cordis reponat.

Nares etiam attinguntur, vt aperiatur ad percipiendum odorem notitiæ Dei, vt ex creaturis non fœtorem & noxium odorẽ hauriat, sed suauem & salutarem animæ, id est, vt Deum in omnibus creaturis agnoscat, illis non nimis adhæreat, illas non admiretur, vel magni faciat, sed pro creaturis, rebus caducis & perituris habeat: in qua re sita est vera & Christiana scientia.

Ioan. 5.

Tertiò, quod sicut Christus cæcum illum à natiuitate, luto ex salina oculis imposito, ad aquas Siloë abluendum misit: ita baptizandus, sordibus peccatorum infectus & conspurcatus, ad baptismum lauandus mittatur.

Quid deinceps sequitur?

Ab renuntiatio: de qua B. Hieronymus

In

In mysterijs (inquit) primum renuntiamus, ei, qui in occidēte est, nobisq; moritur cum peccatis, & sic versi ad orientem pactum inimus cum sole iustitie, & ei seruituros nos esse promittimus Et B. Augustinus: Renuntiemus Diabolo, Angelis & pompis *Amos 6.* eius: Hoc audistis, hoc & vos profesti estis, renuntia. — Lib 2. de re vos Diabolo, Angelis & pompis eius. Videte dile- *Symbol. ad cate. ca. 1.* ctissimi quia hanc professionem vestram in curiam profertis Angelicam, nomina profitentium in libro excipiuntur vita, non à quolibet homine, sed à superiore cœlitus potestate. In die Baptismatis (ait B. Gregorius) omnibus nos antiqui hostis operibus *Hom. 20.* atque omnibus pompis abrenuntiare promisimus. in Euang. Itaq; vnusquisque vestrum ad considerationem suã mentis oculos reducat, & si seruat post Baptismũ, quod ante Baptismum spondit, certus iam quia fidelis est, gaudet. Et D. Ambrosius: Quando te *Lib. 1. de* interrogauit Presbyter Abrenuntias Diabolo, & o- *Sacra. c. 2.* peribus eius, quid respōdisti? Abrenuntio, Abrenuntias saculo, & voluptatibus eius, quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tua series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, vt pecuniam eius accipias, teneris adstrictus, & reluctãtem te fenerator adstringit, atq; illic tua cautione conuincaris: vbi promiseris considera, vel quibus promiseris. Leuitam vidisti, sed minister est Christi: vidisti illũ ante altaria ministrare. Ergo chirographum tuum tenetur non in terra, sed in cœlo.

Quare

*Quare ista renunciatio à Catechumenis ante
Baptismum instituitur?*

Ioan. 17. Vt sciant Christiani: non esse solorum
monachorum aut religiosorum renuntiare
sæculo, sed hanc esse omnium Christiano-
rum professionem, *vt non sint de hoc mundo: sicut & Christus non fuit ex hoc mundo*, vt de-
ferant mundum atque omnia quæ in mundo
sunt: vt cor sursum habeant ad Dominum,
1. Ioan. 2. *exspectantes beatam spem & aduentum gloriae
Tit. 2.* *magni Dei*: atque hanc professionem tam esse
propriam & intimam Christianis, vt qui
eam negligit, non minus censeatur reus quàm
religiosus violans votum suum, monasticæ
professionis Vterque maledictioni est ob-
noxius, maiori quidem hic: ille minori, sed
ambo intolerabili.

*Quare vngitur oleo sanctificato in pectore
& scapulis?*

Lib. 1. de Sara. c. 2. Primò, vt sciat se *tanquam Christi athletam*
(ait Ambro.) *quasi luctamen huius sæculi luctaturum*: solent enim luctantes inungi.

Lib. 1. in-stit. Cler. cap. 27. Secundò, vt *nullæ reliquie latentis inimici*
(inquit Rabanus) *in eo resideant*: penetrans
quippe oleum, significat etiam interiora
quæque curari.

Tertiò, vt sciamus Baptismi gratiam non
nostris meritis, sed Christi beneficio, & gra-
tuita beneficentia donari, quæ per oleum
signi-

significatur, iuxta illud Psalmistæ: *Impingua- Psal. 23.*
sti in oleo caput meum.

Quartò, quia oleum est medicamenti species (siquidem Samaritanus infudit in *Luca. 10. 4*
 vulnera *oleum & vinum.*) Per hanc vnctionē significatur, interna vulnera animæ nostræ, hoc est, passiones, & noxias infirmitates hac medicina curari, fomitemque ipsum, quantumuis non omninò extinguitur, at certe debilitari, & frangi, viresque & robur spirituale nobis addi, tentationes omnes daemnis & carnis expellendi, iuxta illud: *Peccatum Rom 7.*
vobis non dominabitur: quia non estis sub lege, sed a Lib. 3.
sub gratia. Qua de re pulchrè *Lactantius, diuin. in-*
 Firmianus, *b* Cyprianus & *c* Augustinus, qui *stir. c. 26.*
 huius rei experientiam mirabilem, tum in se *b Lib. 2.*
 ipsis, tum in alijs referunt. Olim quidem (vt *Epist. 2.*
 testis est B. *d* Dionysius Ariopagita) inungi *c Lib. 4.*
 solebat totum hominis corpus: nunc autem *Confes ca.*
 solum pectus cum scapulis: pectus quidem, *4 & lib.*
 vt intelligamus mentem ipsam seu cor diui- *9 cap. 14.*
 na virtute corroborari: scapulæ veidò, quia *& 6.*
 datur homini robur, ad iugum Christi ferē- *d ca. 2. Ec-*
 dum. Ante inungitur, & retro: vt vndique *cle. Hiera.*
 muniatur, & confirmetur ad opera bona *In Clemē-*
 præstanda, corde & corpore, voluntate, & *te summa*
 opere. *Trinit. &*
fide Cach.

Examen de fide orthodoxa ad fontem quid sibi vult?

Primò, vt sciamus, sine recta fide Baptis-
 mum

T

mum

cyra. cap. 7.
Ephes. 5.
Marc. 16.

mum nihil prodesse. Nam qui crediderit, &
 baptizatus fuerit, hic saluus erit; qui verò non cre-
 diderit, condemnabitur.

Secundò, hoc Baptismi Sacramentum
 sic esse & dici Sacramentum fidei, vt per il-
 lud infantibus virtus fidei infundatur, & a-
 dultorum fides gratia Dei illustretur, for-
 metur, & in virtutem perficiatur. Vbi vel
 adultus per se, vel susceptores pro infante
 tertio responderint, Credo: vt *multiplicem*
lapsam (inquit Ambrosius) *superioris etatis*
absoluat trina confessio: & item Sacerdoti inter-
 roganti, Vis baptizari? responderint, Volo:
 confertur Baptismi Sacramentum corpus
 abluendo, & cor ipsum purgando ab omni
 peccato, lauacro aquæ, in verbo vitæ, inuo-
 cato nomine sanctæ Trinitatis; Ego te baptizo

Ephes. 5.

in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

*Cur baptizatus in vertice chrismate
inungitur?*

Vt sciat se Spiritus Sancti gratiam in hoc
 fonte accepisse, qui columbæ specie in Chri-
 stum Dominum baptizatum descendit: tum,
 vt intelligat se iam inunctum interna gratia,
 & externo chrismate, merito posse vocari
 Christianum.

Matth. 3.

Quid velum siue candida vestis?

Primò significat puritatem animæ & iu-
 stitiam, qua anima iam ab omni sorde pec-
 cati purgata, tanquam candidissimo vesti-
 mento

mento induitur, iuxta illud: *effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* *Ezech. 36.*

Secundò, libertatem Christianam, quam hoc Sacramèto sumus assequuti, erepti de tenebris carceris, & immani seruitute diaboli.

Tertiò, læticiam internam & gaudium Spiritus: sicut enim vestis pulla est signū tristitiæ; ita vestis candida significat gaudium.

Quartò, futuram resurrectionē, ad quam per Baptismi Sacramentum ius & pignus accepimus.

Quintò, *Innocentiam Christianam* (ait Raba- *Lib. 1. de*
banus) *quam post ablutas veteres maculas, studio insti. cler.*
sanctæ conuersionis immaculatam seruare debe- *cap. 29.*
mus, ad presentandum ante tribunal Christi. Quia
talis exigitur à Christo, tam pura & nitida,
tam ab omni sorde & puluere aliena, qua-
lis data est in hoc Baptismi Sacramento. Ni-
hil enim *coinquatum aut immundum in regnum*
illud ingreditur. Veteres solebant totis octo
diebus, à Sabbatho Paschæ vsque ad Sabba-
thum sequens post Baptismum candidis ve-
stibus uti. Vnde etiam Sabbathum & Domi-
nica in albis nomē habent, ad inculcandam
nobis vitæ puritatem, quæ Christianos post
tanta dona à Christo percepta decet. Raba- *Lib. 1. de*
nus mystici illius veli candidi, quod infan- *insti. cler.*
tibus baptizatis imponitur, etiam hanc dat *cap. 29.*
significationem: *vt (ait) intelligant, se diadema-*

2. Pet. 2. tis regni, & Sacerdotalis dignitatis portatores, iuxta Apostolum: *Vos estis gens sancta, Regale Sacerdotium, offerentes vosmetipsos hostiam viam sanctam, Deo placentem.* Nam Sacerdotes in veteri Testamento, quodam mystico velamine caput, semper ornabant.

Quid, qui postremo omnium porrigitur cereus ardens?

Tres Theologicae virtutes significantur, quae baptizato per Sacramentum infunduntur; fides in lumine, charitas in calore, spes in cerei recta altitudine, quae ex imò sursum ascendit, sicut spes nostra ad caelos usque erigitur, & nos erigit. Cæterum hic cereus datur gestandus manibus: quia non sufficit corde fidem, spem & charitatem retinere, nisi etiam operibus prodamus & exeramus, *2. Thes. 1.* *mores (ait Apostolus) operis fidei vestrae, (id est, operosae fidei) & laboris charitatis, & sustinentiae spei.* Ideoque his virtutibus instructi iubemur, ire in pace, hoc est, non otiosi, non quiescere, non contenti esse his, quibus donati sumus, *Rom. 6.* *sed operari, progredi de virtute in virtutem, ad anteriora nos extendere, & in nouitate vitae ambulare.* Et sicut nobis in Baptismo cereus datur, ita egressuris ex hac vita redditur, ut eo tempore tali signo protestemur, (quando verbis non licet) nos Christi fidem inuiolatam retinere, charitatem

Cur agonizantibus cereus datur.

tem amplecti, & spe bona fulciri, optareque quod in nobis est, Christo sponso nostro occurrere, cum sapientibus virginibus, gestantes lampades ardentibus manibus nostris, nempe propositum firmum Deo placendi *Matth. 25.* & seruiendi.

Susceptorum officium quod est?

Hoc in Ecclesia antiquissimum constat, *Cap. 2. &* ex Dionysio Ariopagita, in eo fuisse, ut susceptor, quem patrinum vocant, susceptum *7. Eccl. Hier.* in his quæ fidei nostræ sunt, instituat. Sicut enim in naturali ortu hominis, nemo sine parente nascitur, & natus pædagogo traditur erudiendus; ita Ecclesia mater Christianorum, ubi Christo aliquem genuit Baptismo, sedulo curat, ne ei desit institutor, aut Pædagogus: & non contenta parentibus carnis, qui sæpè filios ad suam consolationem, non ad Spiritualem eorum vtilitatem diligunt, iuxta sermonem Domini: *Inimici Matth. 10. hominis domestici eius*, prouidet eis de alijs institutoribus: Quorum officium est, primò, *Dion c. 2. Eccl. Hier.* pro infante ipso respondere, mundo renuntiare, fidem profiteri, ita planè, ut per os susceptoris infans loqui censeatur, & sese obstringere.

Secundò, sese obligare, ad institutionem infantis, ipsiq; Ecclesiæ testari, & fide iubere, se omnem daturus operam, ut infans iste,

vel etiam adultus, in his quæ sunt Christianæ
 religionis, erudiatur. Notanda est insignis
 admonitio D. Augustini: *Hoc itaque admono*
Serm 183. fratres dilectissimi, ut quoties Paschalis sollemnis
de temp. *venit, quicumque viri, quacumque mulieres de sacro*
fonte filios spiritualiter exceperunt, cognoscant se
pro ipsis fidei iussores apud Deum existisse, & ideo
semper illis sollicitudinem veræ charitatis impen-
dant, & admoneant, ut castitatem custodiant, vir-
ginitatem usq; ad nuptias seruent, à maledicto, vel
periurio linguam refrenent, cantica turpia, vel
luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, nō
inuideant, iracundiam vel odium in corde non te-
neant, &c. Similia habet sermone 215. de tem-
pore, ubi susceptores monet, ut spirituales suos
filios, Apostolorum Symbolum & Orationem Do-
minicam doceant. Nam nescio (ait) qua fronte se
Christianum dicat, qui paucos versus in Symbolo,
vel in Oratione Dominica parare disimulat.

DE CONFIR- MATIONE.

*Quæ est Sacramenti Confirmationis
institutio?*

Promissa est Confirmatio à CHRISTO
Apostolis Ioan. 16. & Actor. 1. in ipso au-
tem Pentecostis festo exhibita,

Quæ sunt Confirmationis partes?
Materia seu Elementum est Chrisma, ab
Epif-

Episcopo consecratum; quod fit ex oleo o-
liuarum & balsamo. Forma verò: Consigno
te signo crucis, & confirmo te Chrismate sa-
lutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus
Sancti: quæ forma simul & actum exteriorē,
& effectum Sacramenti huius significat.

*Fabianus.
Innocent.
primus ad
Decentium.*

*Operationem & effectum huius Sacra-
menti indica.*

Is est, augmentum gratiæ Baptismatis, &
collatio fortitudinis necessariæ ad superan-
da contraria omnia professioni Christianæ.

*Melchia-
des in epi.
ad omnes
Episcopos
Hispanie.*

*Quæ Baptismi & Confirmationis
differentia?*

In Baptismo Dominus nos regenerat, in
Confirmatione nos ad perfectum augmen-
tum adducit. Ibi recipit ad militiam, hic
munit armis. Ibi ad cœlestem hæreditatem
testamento nos vocat, hic pupillis tutorem
dat Spiritum Sanctum. In Baptismo effica-
cior est remissio peccatorum, hic maius au-
xilium virtutum & gratiæ ad bona perfici-
enda, & aduersa superanda.

*Pande mysticam huius Sacramenti signi-
ficationem.*

Oleum pinguedinem deuotionis, lucem
fidei; balsamum verò optimi odoris exem-
pla sanctitatis vitæ significat, ad quæ omnia
per hoc Sacramentum virtus datur.

Verba primo consignationem significat,

T 4 quæ

quæ fit cruce; eſiſque quaſi traditio vexilli Regis noſtri, & ſigni militaris: deinde eius confirmationem, & robur Spiritus Sancti. Et quia ad hæc omnia confertur potestas quædam & quaſi conſecratur homo, certum eſt characterem imprimere, vt nec hoc Sacramentum iterari poſſit.

Quis Sacramenti huius miniſter, & qui eius capaces?

Ex officio atque ordinariè ſolus Epiſcopus, vtpote Spiritalis belli Dux, milites confirmat. Omnis verò baptizatus etiam infans eius capax eſt: & fortè vtiliùs eſt infantibus conferre, pro more antiquæ Eccleſiæ, quia non poſſunt opponere obicem gratiæ.

*Catechiſt.
Roma. ad
Parochos.*

Quanquam alia ratione, vbi facilis eſt quouis tempore ad Epiſcopum acceſſus, aut duodecimum, aut certè ſeptimum ætatis annum expectare conueniret, quia hoc Sacramentum ideo confertur, vt eius virtute optime inſtructi, & parati inueniamur, cum nobis pro Chriſti fide pugnandum eſſet: ad quod fanè pugnæ genus, pueros, qui adhuc vſu rationis carent, nemo aptos eſſe iudicabit.

Qua præparatione ad hoc Sacramentum eundum?

Adultus cum accedit, amouere debet, ſi quod ſit, impedimentum Spiritus Sancti. Quare non contritus tantum de peccatis, ſed etiam

etiam confessus accedere præcipitur, immo & ieiunus in Concilio Aurelianensi cap. 3. Id de ieiunio vsu est abrogatum. Suscepturi igitur Sacramentum hoc exhortandi sunt ad munditiam conscientie, & ad puram præmittendam confessionem; deinde ad desiderium augmenti gratiæ & plenitudinis illius Spiritus Sancti, ostensis effectibus Sacramenti, orationibus & ritibus Ecclesiæ, quæ circa hoc Sacramentum adhiberi solent.

De conf. dist. 5. ca. vt ieiuni.

Quare Episcopus confirmando manum imponit?

Ad significandum. Primò, quod peculiari modo à Deo attingamur, & perfectius incorporemur, nimirum copiosius accipientes de Spiritu Christi.

Cost. li 4. c. 5. Instit. Melhi. ad Episc. Hispaniæ. Cypria. ad Inst. Tertul. lib. de Baptif.

Secundò, quod digniori loco simus in Ecclesia Dei, nempe non amplius infantes & pueri, sed viri ætate prouecta, quorum est alios in certamine iuuare.

Tertiò, nos Spiritu Sancto tanquam manu Dei, solidissimo scuto aduersus insultus & tela hostium protegendos.

Quartò, venialia peccata nobis remitti, atque etiam mortalia, si quæ occulta latent, quorum non succurrit memoria. Attactus enim manus significat reconciliationem & vnionem cum Deo.

Leo Epist. 88.

Vt quid alapam impingit?

T 5

Vt

Ut sciat se talem iam militem esse constitutum, cuius pugna & victoria non in inferendis, sed in tolerandis verberibus cernatur: sicut apostoli *ibant gaudentes à conspectu consilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Christi contumeliam pati.*

Secundò, ut quærat non commoda, sed incommoda huius vitæ: liquidem eius signum & nomen in fronte gerit, qui proposito sibi *gaudio sustinuit crucem, omni confusione cõtempta.* Et sanè militum est, non in delitijs vivere, sed humi cubare, pondus armorum gestare, & mala multa ferre.

Tertiò, ut intelligat officij sui esse, in acie stare, ictusque & tela obseruare, vnde veniant, ut tametsi corpus, honorem & opes tolerant, vel lædant, non tamen animam quoquo pacto offendant.

Ex omnibus illis Baptismi & Confirmationis cæremonijs quid discimus?

Quanti momenti sit esse Christianum, qui tot mysterijs, orationibus, vnctionibus, & benedictionibus initiatur, consecratur, & perficitur: ut perpetuo meminerimus nos diuino cultui dedicatos esse, & solenni consecratione deputatos, longè sacratius quam vel calicem sacrum, vel templum, vel altare. Ac proinde frequenter cogitemus, maiorem iniuriam irrogari Deo, dum Christianus seipsum defœdat quouis peccato mortali;

tali, quam si calix, altare, vel templum, materiale secularibus vsibus profanetur. Sæpè id cogitandum esset, quod ex Hieremia in quotidiana lectione recitat Ecclesia: TV AV- Hier. 14.
 TEM in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos; ne derelinquas nos Domine - 1 Cor. 3.
 ne Deus noster. Et illud Apostoli: Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. An nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in cordibus vestris. & 6.

DE EUCHARISTIA.

Quod est huius SS Sacramenti nomen?

Diuersa sunt nomina propter excellentem eius magnitudinẽ. Continet Christum, cui nos vnit, ideoque vocatur Eucharistia, Synaxis vel Communio, quia nos inuicem vt membra vnus eiusdemq; corporis iungit: Viaticum, quia cibus est, quo in huius vitæ via sustentamur, præcipuè cum ex ea, ad Deum sumus discessuri. Dicitur & Sacrificium, quia Christum continet pro nobis in cruce oblatum, ideoque mentio fit in consecratione sanguinis pro nobis effusi; quia

Eucharistia idem est quod bona gratia seu gratiarum actio.

quia datum est Ecclesiæ, vt offerat Deo in officium debitæ seruitutis. Vocatur & assumptio, & transformatio græcis, & in punicis Ecclesijs, teste D. Augustino, vita dictum est.

Quæ inter hoc, & cætera Sacramenta differentia est?

Cætera perficiuntur in vsu, & applicatione materiæ ad suscipientem: hoc verò in materiæ consecratione, vt verba formæ indicant. Deinde in conficiendis alijs Sacramentis, nullus fit elementi, seu materiæ in aliam naturam mutatio. Etenim baptismatis aqua & chrisimatis oleum cum illa sacramenta administrantur, priorem aquæ & olei naturam non amittunt: In Eucharistia vero, quod panis & vinum ante consecrationem erat, effecta consecratione vere est corpus & sanguinis domini substantia, atque adeo totus dominus, verus Deus ac verus homo. Panis iste panis est ait S. Amb. ante verba Sacramentorum, vbi accesserit consecratio de pane fit Caro Christi.

Sacrosancta Eucharistia cuius rei signum est.

Tria nobis hoc Sacramento indicantur. Primum salutaris domini nostri Iesu Christi passio. Quamobrem dominus dixit, Hoc facite in meam commemorationem, & eius Apostolus, quotiescunque manducabitis panem

panem & biberitis mortem domini annun-
ciabitis, donec veniat, Atque hæc iam præ-
terit.

Alterum est diuina cęlestisque gratia quæ
præsens est & ad animam alendam hoc sa-
cramento tribuitur.

Tertium quod futurum prænunciat æ-
ternæ iucunditatis & glorię plenissima satie-
tas, qua in cęlesti patria inebriabimur ab-
vbertate domus Dei, quæ omnia Ecclesia
Domini complectitur, cum sic canit, ô faciũ
conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur
memoria passionis eius, mens impletur
gratia & futuræ gloriæ nobis pignus datur.

*Quare panis & vinum pro materia huius
Sacramenti assumuntur?*

Quia hæc duo sunt quibus communican-
tes homines ad iucundam plenamque refe-
ctionem, vtuntur. Ideoque amplissime ad
eas res declarandas, quarum sacramenta esse
credimus. Etenim Christum significant, vt
vera est vita hominum, qui dixit caro mea
vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.
vt intelliagnus cõmunionem corporis Chri-
sti, animam saturari & ad vitam ęternam nu-
triri non secus quam hisce elementis vita
naturalis. Nonnihil etiam hæc ipsa elemen-
ta valent ad veritatem corporis & sanguinis
Domini in hoc sacramento agnoscendam:
nam

ad panem & vinum in humanam carnem & sanguinem vi naturæ quotidie mutari animaduertimus, quid ni crederemus panis & vini substantiam in veram Christi carnem verumque eius sanguinem cœlesti benedictione conuerti.

3. Ex his intelligimus quid fiat: in anima etenim etsi nulla extrinsecus panis & vini mutatio appareat eorum tamen substantia in carnem & sanguinem Christi vere transit, ita tametsi in nobis nihil mutatum videtur, interius tamen ad vitam renouamur dum veram vitam in Eucharistiæ Sacramento accipimus.

4. Accedit ad hæc quod cum, vnum Ecclesiæ corpus ex multis membris compositum sit nulla re magis lucet ea coniunctio, quam panis & vini elementis. Panis enim ex multis granis conficitur & vinum ex multis botris, atque ita nos cum multi simus, huius domini mysterij vinculo artissime colligati & tanquam vnum corpus effecti declarant sed de his paulo post plenius, cum de effectibus egerimus.

Si vis plura de veritate corporis Christi Catechista, aut si auditorium tuum requirit habes pulchra & popularia in Catechismo Romano. Ibidem etiam reperies quare non se ipsum sub propria specie tradiderit.

Ideo.

*Ideone tantum datum hoc Sacramentum, vt esset
nobis cœleste alimentum?*

Nequaquam, sed vel præcipuè vt perpetuum esset Ecclesiæ sacrificium, tum laudis gratiarum actionis, tum etiam propitiatorium, cuius vnus omnia veteris legis non nisi vmbra quædam fuerunt.

*Nunquid Christus seipsum semel in cruce obtulit
pro totis mundi peccatis. Et cur offerimus
& nos ipsi?*

Perfectioni sacrificij Christi nostra oblatione nihil omnino derogamus. Sed sicut post Christi orationem adiungimus nostras, post eius mortificationē, nostram, post eius merita nostra, quibus tamen nihil putamus nos addere Christo, sed tantum nos illi appropinquare, & orationum, mortificationis, satisfactionis & meritorum ipsius participes effici: sic in sacrificio hoc agimus, vt ipsum quod de Domini manu accepimus, reddamus in gratiarum actionem, in satisfactionem, ad impetrandum beneuolentiam & gratiam eius, denique ad vitanda omnia mala & consequenda bona.

Nec potuit Saluator noster vllam suæ erga nos immēse charitatis illustriore significationem

nem

nem dare, quam cum nobis visibile Sacramentum reliquit, quo cruentum illud se mel in cruce immolatum instauraretur, eiusque memoria vsq; in finem seculi quotidie summa cum vtilitate ab Ecclesia per vniuersum orbem diffusa, coleretur.

In visibili illo sacrificio, quam Missam dixere maiores: quid offertur?

Hoc ipsum quod in cruce oblatum est Christus scilicet & Ecclesia, obtulit enim Christus se in odorem suauitatis, se inquam totum, omnia sua merita & membra quæ est Ecclesia.

Audire aut celebrare missam est ne Deo gratum obsequium?

Quam hæc victima, si rite & legitime immoletur, grata sit Deo & accepta, ex veteris legis sacrificijs (quæ non nisi umbra huius fuerunt) licet colligere, de quibus scriptura dicit, Deum odoratum esse, fuisseque illi in odorem suauitatis.

Fructus siue effectus huius Sacramenti expone?

Hæc populo frequenter explicanda.

Præter illum effectum, quem forma Sacramentalis significat, conuersionem videlicet vini & panis in Corpus & Sanguinem Christi, & ultra valorem, quem vt sacrificium habet etiã ex perceptione ipsa siue manduca-

ductione magni proculdubio diuinæ gratiæ oriuntur fructus in suscipientibus.

Quinam sunt illi?

Reducuntur omnes ij ad promotionem *Vide Prax̄*
in omne bonum, & ad liberationem ab om- *num. 40o*
ni malo. Bona sunt diuinæ gratiæ collatio &
augmētum, excitatio animi ad deuotionem
erga Deum, & prægustatio dulcedinis eius,
& denique perseuerantia in bono, & beati-
tudinis consequutio.

Vnde Eucharistia esse effectus?

Ex quatuor, quæ in eo diligenter sunt con-
sideranda. Primum id, quod continet Chri-
stum videlicet, qui causa est totius gratiæ &
boni in nobis. *Gratia & veritas per IESVM Ioan. 1o*
Christum facta est, inquit Ioannes: Id igitur
quod in mundum veniens egit, agit & nunc
veniens in hoc Sacramento in animam: &
hoc certe significat illud Ioannis: *Qui mandu- Ioan. 6o*
cat meam carnem, habet vitam æternā. Et aper-
tius illud: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro*
mundi vita. Vita enim propriè ad hanc Dei
gratiam pertinet.

Secundum considerandum est id quod
repræsantatur, in hoc Sacramento, scilicet
passio ipsa Christi, vt aperte forma signifi-
cat, & Paulus docet: *Quotiescunq̄, inquiens,*
manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, &c.
Efficit igitur hoc Sacramētum id quod pas-
sio

V sio

Rom. 5. *Christi* quam repræsentat: de qua Paulus: *Reconciliati (inquit) sumus Deo per meritum filij eius.* Hæc verò reconciliatio est per gratiam.

Tertium, in hoc Sacramento est modus quo traditum est à Christo, cibi scilicet & potus. Vnde operatur in Spirituali vita, quod cibus & potus in corporali. Sicut ergo per alimentum sumptum, Primò delectamur gustu & sapore, deinde corroboramur, dum id quod deperditum fuerat, virium reparatur, & additur etiam non nihil: & demum, quamdiu sumus in ætate augmenti, augemur: ita per hoc Sacramentum, hæc omnia efficiuntur in anima: gustatur diuina dulcedo, quidquid ex quotidiana infirmitate, & consuetudine terrena deperditum est virium animæ reparatur: & quia in hac vita semper nobis proficiendum est, promouemur ad profectum per illud. Vnde non immerito cibus hic designatus est in ligno illi vitæ, quo reparabatur, & renouabatur homo, & à morte præseruabatur. Itaque non tantum quod communes illi cibi faciunt in corpore, hoc agitur in anima, sed multo proculdubio amplius: quod scilicet singularis ille cibus ligni vitæ faciebat in corpore, videlicet renouationem.

Gen. 2.

Quartum denique panis & vinū materia Sacramenti. Significant enim panis & vinum

num primum corpus & sanguinem Christi, in quæ etiam per consecrationem conuertuntur, nam de corpore suo ipse Dominus inquit: *Ego sum panis viuus.* Et de sanguine eius Iacob dixit: *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vultus & pallium.* Deinde corpus ipsius mysticum, hoc est, vnitatem fidelium omnium, qui in hanc vnitatem conueniunt, non aliter, quam diuersa grana tritici & botri, in vnum panem & vinum. Ita enim Augustinus inquit in 6. cap. Ioannis: Quod propterea Dominus corpus suum & sanguinem nobis commendauerit in ijs rebus, quæ ex multis in vnum aliquid rediguntur, vt significetur hæc Ecclesiæ vnitatis. Igitur & hoc efficit istud Sacramentum, sicut significat: vnit omnes sumentes: & primo quidem in ipsum Christum illos transformat: deinde coaptat cæteris omnibus membris Christi. De quo Paulus apertissimè dixit: *Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & calice participamus: apertè ostendens participationem hanc id efficere.*

Ioan. 6.

Gen. 49.

I. Cor. 10.

*Quid manducatio ipsa, & species panis & vini,
& verba Sacramenti huius nobis
significant?*

Primò, admonemur egere nos alimento:
sed Christum non transiturum in nos, ve-

V 2 rum

rum nos potius transituros in ipsum adeo
 cum Christū māducamus ineffabili quocumque
 modo, ab ipso potius, si ita dicere liceat māducemur
 fiamusque, vt loquitur Apostolus, concorporales & conparticipes. Quare
 si volumus veraciter viuere Christo, opus est, vt nos permittamus conteri quasi quibusdam
 dentibus à timore Domini, & transmitti velut in stomachum quendam, in considerationem summæ illius misericordiæ, & infinitæ
 virtutis passionis Christi, vt ita deum calore illo viuifico Christi conuertamur in ipsum, vt primò dicamus cum Paulo
Christo confixus sum cruci. Deinde: *Viuo iam non ego, viuit verò in me Christus.* Hic est huius Sacramenti proprius effectus: hoc ipsum admonent nos panis & vinum, quæ materiae sunt huius Sacramenti: vt videlicet, si volumus membra esse corporis Christi, & ad Ecclesiasticā vnitatem pertinere, permittamus nos sicut grana tritici frangi, & à propria voluntate discedamus: vt sic simus *cor vnum, & anima vna,* cum alijs. Hoc est enim quod Paulus docet: *Vnusquisq; proximo suo placeat ad bonum in adificationem.* Et de se dicit: *Non quaerit quod mihi vtile est, sed quod omnibus.* Hæc est vera Ecclesiæ vnitatis in pane & vino significatio nobis, & virtute huius Sacramenti proculdubio quærenda & conseruanda. Deinde vt credimus ad verborum illorum prolatione

Rom. 15.

1. Cor. 10.

mox creatas illas, & sensibiles alioqui substantias statim cedere, & locum aduenienti Deo relinquere: ita docemur oportere nos diuinis præceptis obtemperare; & eius audito verbo, ab omni proprio sensu, amore, & desiderio recedere, vt in Deum transeamus. Et rursus sicuti videmus creatas illas substantias, quanquam esse desierint, non tamē redactas esse in nihilum, sed potius transmutatas in melius, & illa sua obedientia nihil amisisse boni: ita & nos quò ad obedientiam Dei promptiores fuerimus, & minus quesierimus nostra, eò magis perficiemur, & Deificabimur. Atq; ideo hæc nostra in Deum mutatio, quæ summa est totius religionis Christianæ, tot modis, tot figuris nobis in hoc Sacramento commendata est.

Quæ mala depelluntur eiusdem saluari Eucharistiæ perceptione?

Dum digne sacram synaxim recipimus, dimittuntur præterita peccata nostra directè quo ad culpam, ex consequenti etiam quo ad pœnam, per deuotionem videlicet & cōtritionem, quam auget: à futuris autem præseruat, addendo vires animæ, & protegendo ipsam, vt merito hoc Sacramentum dicatur, & sit cibus interiora roborans, & arma atq; munimentum exterius. De quo in Psalmo:
*Parasti in conspectu meo mensam aduersus omnes Psal. 22.
 qui tribulant me.*

*Prax. nu-
mer. 39.* Quia in praxi de preparatione dictum est, scire
velim, quale sit peccatum, cum con-
scientia mortalis peccati
accedere?

*Et h.ec se-
pißimè in-
sulcentur.* Grauißimum id quidem est, & post ea quæ
in Deum fiunt immediatè maximum.

Quam ob causam?

1. Est primò hic apertißimum mendacium
in ipsum Sacramentum commissum: nam
eius sumptione significamus nos contende-
re ad veram vnionem Christi, cuius tum re-
vera contrarium in mente est, quando mor-
tali consentimus peccato.
2. Deinde cum in hoc Sacramento Chri-
stus veraciter contineatur, licet occulte: &
ipse in Euangelio post peccata quæ fiunt
contra Diuinitatem, ea quæ fiunt contra
eius humanitatem posuerit: *Qui dixerit (in-
quiens) verbum in filium hominis, &c.* Conse-
quens est, hoc peccatum proximum esse
peccato crucifigentium Christum. Illi e-
nim in corpus Christi sub propria specie in-
iuriæ fuerunt, isti autem sunt non minus e-
iusdem corporis Christi, licet non in sua
specie, contemptores. Quod ipsum Paulus
significauit, dum ait: *Reus erit corporis & san-
guinis Domini.* Itaquæ post infidelitatem, odium
Dei, desperationem, crucifixionem Christi,
& cætera similia peccata, quæ fiunt contra
hoc Sacramentum, grauißima sunt: deinde
& quæ

Lucæ. 12.

Matth. 12.

Marc. 3.

I. Cor. II.

& quæ contra cætera Sacramenta, & res alias Deo sacras fiunt : tum demum quæ in proximos committuntur. Et hæc quidem (vt B. Thomas inquit) de peccatis æstimatis ex suo genere certa sunt : quamuis ex circumstantijs possint alia esse grauiora. Itaque non dubitamus hoc peccatum maius dicere homicidio ex suo genere, quanquam illud sit magis nociuum.

*Indigne
communi-
care, Ho-
micido ma-
ius est
crimen.*

*Quid si accedens mortale habeat peccatum,
& tamen id ignoret?*

Duplici id modo contingit : Primò, ex propria culpa accedentis : cum scilicet aliquis (vel quia culpabili negligentia discutit conscientiam, vel ignorat ea quæ sibi ad salutem necessaria sunt) putat se sine peccato accedere, nec dubium est ad peccatum id imputari : & quamuis tam graue non sit, quam si cum conscientia peccati accederet, est tamen illi proximum. Alio modo fieri potest sine culpa sua : quia scilicet ignorat esse peccatum inculpabiliter : vel diligenter discutit conscientiam, nec tamen quantum necessarium erat ad consequendam peccati remissionem, & ita adhuc in peccato accedit. Et tunc non solum non peccat, sed magis ipsa susceptione disponitur, & quandoque omninò iustificatur. Et ex hoc vltimo gradu illud fit, quod in hac materia præ oculis habendum est, vt ad

dignè accedendum ad hoc Sacramentum, non alia requiratur certitudo immunitatis à peccato, quam quæ potest probabili coniectura haberi: cum scilicet quis tempus impendit quantum putat rationabiliter sufficere ad memoranda peccata, & ad verum eorum dolorem & propositum emendationis facit sine fraude & dolo. Alioqui oportebit nos aut nunquam accedere, aut expectare diuinam reuelationem, vel fidem Lutheranorum tenere, qua certò dicunt se credere remissa sibi peccata, non minus certò (inquint) quam credunt Christum crucifixum, quæ est pestilentissima præsumptio.

Mentis euagatio, & si quæ alia in ipsa sumptione venialia peccata committuntur, impediunt fructum Sacramenti?

Potest esse aliqua mentis euagatio, quæ non solum totum fructum Sacramenti impediat, sed reum etiam faciat grauioris peccati, etiam si præter intentionem, & sine peccato mortali contingat: potest etiam esse tam parua, & præter intentionem omnem, vt veluti nebula virtute deuotionis præteritæ dispellatur. Qui verò accedunt, in omni vigilantia & timore se custodiant, nec persuadeant sibi, se quomodocunq; accedant, fructum percipere, sciant hic maxime opus esse esurie & siti iustitiæ: quamuis non semper æstimare debeant se esse sine fructu, cum
vel

vel non experiuntur deuotionis dulcedinē,
 vel aliquid distractionis patiuntur. Est por- ^{Consilium}
 rō hoc saluberrimum Consilium, & in huius ^{notatu}
 & in ceterorum Sacramentorum vsu, actua- ^{dignum.}
 lem deuotionem, & desiderium gratiæ sup-
 plere post illorum vsu.

Quis huius Sacramenti minister est?

Solus Sacerdos consecrat, & licite admi-
 nistrat: quia conficit hoc Sacerdos in perso-
 na Christi, cuius personam nemo induere
 potest, nisi potestate ab ipso accepta. Itaque
 qui ab Episcopo non est ordinatus Sacerdos,
 quidquid dicat super panem & vinum, nullo
 modo existit Sacramentum.

*Tenentur ministri huius Sacramenti, hoc est,
 Sacerdotes omnes & Episcopi ali-
 quando celebrare?*

B. Thomas ex autoritate B. Ambrosij,
 & ratione efficaci censet; ministrum huius
 Sacramēti, Sacerdotem scilicet, etiamsi nul-
 lam habeat curam animarum, tum ex ordi-
 ne ipso Sacerdotali teneri, si non frequenti-
 us, saltem in præcipuis festiuitatibus cele-
 brare. Quod omittere etsi nonnulli putant
 leue esse, aut non mortale, Ambrosius tamē
 graue esse dicit: & de Sacerdotibus legis ve-
 teris in grauissimam reprehensionem dici-
 tur, quod non circa altaris officia dediti erant ^{2. Mach. 4.}
 Denique tantæ gratiæ diuinæ, vtilitatis Eo-
 rum

clesiæ & propriæ neglectus, quid est aliud, quam in vanum gratiam Dei recepisse? Non auderemus itaque à graui peccato liberum credere hoc omittentem, mortale verò an veniale sit, Deo relinquimus.

DE POENITENTIÆ PARTIBVS.

Quot sunt partes seu actus pœnitentiæ?

TRes esse non scriptura tantum, sed & natura docet: Nam cum filius, seruus, aut amicus, Patrem, Dominum, aut amicum læsit, aut ratione quauis in illum aliquid commisit, si reconciliari vult, primo agnoscit & detestatur quod fecit, tunc illum in quem peccauit adit, & coram eo confitetur, & agnoscit se malè fecisse, demum offert se paratū satisfacere pro arbitrio eius, in quem peccauit: ita etiam in peccatis contra Deum commissis scriptura nos docet, & verbis, & exemplis fieri debere; vt videlicet.

Primò, vera agnitione peccati, & detestatione coram Deo humiliemur: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me, vel coram me est semper,* inquit Psal.

Deinde, vt & hoc ipsum, vel coram Deo solo, vel coram hominibus, sicut ad illius gloriam pertinere agnoscimus, confiteamur.

mur. Est enim confessio peccati in scriptura:
Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam. Et *Psal. 31.*
 Iob sub exécratione inquit: *Si abscondi quasi* *Iob. 31.*
homo peccatum meum, & celavi in sinu meo ini-
quitate meam: cum scilicet ad Dei gloriam
 & salutem suam illud oportuisset manifesta-
 ri. Et huc pertinet illud: *Fili mi, da gloriam* *Ios. 7.*
Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid fe-
ceris, ne abscondas.

Et postremò etiam docemur nos diui-
 no iudicio subijcere, & quam ille imposue-
 rit pœnam humiliter subire. Ego (inquit
 Psalmus) *inflagella paratus sum.* Et Hieremias: *Hier. 29.*
Corripe me (inquit) Domine, veruntamen non in
furere, sed in iudicio, ne fortè ad nihilum redigas
me: quæ tria etiam in pœnitentia Dauid de
 peccato Bersabæ inueniuntur.

DE EFFECTV POENITENTIAE.

Quæ vis & efficacia sacramenti pœnitentia.

Primò, efficit remissionem petere iuxta
 illud Ezechielis: si impius egerit pœnitenti-
 am ab omnibus operibus suis quæ operatus
 est, & custodierit omnia præcepta mea & fe-
 cerit iustitiam & iudicium, vita viuet, & non
 morietur.

Secundò. Eodem momento quo pœni-
 tentiam veram agit peccator recipit gra-
 tiam Spiritus Sancti, imo & ipsum Spiri-
 tum sanctum, hospitem, nutricem, & recto-

rem

vita suæ, vt quasi prudens & fidelis nauclerus per procellosum huius mundi pelagus, in optatum portum perducatur. Vnitur Christo vt membrum viuum capiti, vt sic illi unitus, particeps fiat influentiæ gratiarum meritorum laborum vitæ eius sanctissimæque mortis.

Confestim adoptatur in filium Dei hæredem regni cœlestis, tractatur vt filius: siquidem ipse curam eius suscipit & prouidentiam, quam habere solet erga omnes qui illius sunt. Pius pater in domum suam recipit filium prodigum, iubet illum indui stola prima, id est veste prioris gratiæ, eique dari anulum arcanorum diuinæ sapientiæ, id est, nouam cognitionem rerum diuinarum quæ occultæ sunt, & ab oculis huius mundi absconditæ.

In illa hora exultant cœli, & canunt angeli laudantque Deum in excelsis & festos dies agunt in aula cœlesti ob conuersionem noui fratris. Omnes quoque creaturæ, quæ ante cōtristabantur propter offensam creatoris & creaturæ amissionem, tunc lætantur & dulce cantant Alleluia, ob nouam illius reparationem. Inter omnes autem bonus ille pastor qui tot laboribus & molestijs, perditam ouem suam quæsiuit, & inuenit, illam in humeris suis ad ouile reportat & conuocans amicos & vicinos suos dicit congratulamini mihi, quoniam inueni ouem meam, quæ perierat.

Ter.

Tertio pœnitentia restaurat bona quæ per peccata amissa sunt ; vt sunt virtutes Theologicæ , & infusæ omnes , non autem acquisite , merita quoque virtutum quæ peccatum præcesserant.

Redeuntne peccata dimissa per pœnitentiam, reuertente peccatore ad vomitum?

Aliquo modo redire apertè Dominus indicat in parabola, in qua nequam seruus vniuersum debitum reddere iubetur, etiam dimissum, quia in conseruum immitis fuit: omninò autem & simpliciter ea redire, ita vt propter ea puniendus sit, qui postea peccauit, nec diuinæ pietati, nec veritati Sacramenti, nec Sanctorum doctrinæ congruit: *Sine pœnitentia enim sunt dona Dei, & vocatio.* Quod Rom. 11. ille igitur semel donauit, non repetit.

Explica qualiter non redeant, & qualiter redeant?

Non redeunt necessario secundum inordinatam conuersionem suam ad bonum commutabile: qui enim antea auarus fuit, post pœnitentiam potest fieri prodigus. Nec etiam secundum maculam & reatum suum prout à præcedentibus peccatis causabatur: sed quia efficiunt sequens peccatum maius, & sunt quædam circumstantiæ aggravantes. Cum enim tanto grauius peccemus in Deum, vt Paulus, inquit, quanto plus *diuitias bonita-* Rom. 2.

Nota.

nitatis eius & patientie, & longanimitatis contemnimus, inter cætera verò bonitatis Dei dona hoc tam insigne sit, quo remissa sunt nobis peccata: peccantes verò rursus contra hoc agimus, & illud contemnimus: non possunt peccata sequentia remissionem, non tanto maiora esse, quanto plura, aut sæpius remissa sunt. Est itaque pro certo habendum, eum, qui post remissa peccata peccat, cæteris paribus tanto grauius peccare, quanto plura, aut sæpius remissa sunt ei peccata: ita scilicet, vt duobus eadem specie & affectu peccantibus, ille arctius irretitus sit, & grauius peccet, cui antea erant remissa peccata, quam qui tunc primo peccauit: & si ambo- bus remissa fuerint, ille plus peccat, cui plura; Quanta verò sit hæc grauitas Dei iudicio relinquendum est.

Est ne minor ingratitude peccantis post remissionem quam post innocentiam?

Quamuis donum innocentie simpliciter maius sit remissione peccati, tamen in ordine ad eum cui remittuntur peccata, tanto maior fit illi gratia, quanto indignior ea erat, & quanto fuit maior gratia, tanto est postea maior ingratitude. Neutra tamẽ speciale peccatum est, nisi sit in contemptum beneficij remissionis peccatorum, aut cuiuscunque alterius. Obluisci verò beneficij, aut memoratum non magni æstimare,
vel

Ingratitudo quando fit peccatũ speciale.

vel propter illud nō retrahi à peccato, commune est, sed grande proculdubiò malum. Quatuor tamen sunt peccata, propter quæ specialius dicuntur peccata dimissa redire, ob peculiarem ingratitude[m] erga remissionis beneficium. Odium fraternum, hoc est illi nolle remittere, apostasia à fide, contēptus confessionis, & dolor de pœnitentia prius facta.

Quo in statu sunt, qui assidue, & frequenter recidunt post actam pœnitentiam, siue in eadem quæ prius habuerunt, siue in alia peccata?

In periculoso admodum: Secundum enim arctius irretit, implicat ac tenet animam quam primum, & adhuc arctius tertium quam secundum, & sic deinceps.

Sapè hæc plebi proponere Catechista, si animarum salus tibi curæ est.

Quæ est illa animæ implicatio?

Primò, frangitur magis virtus ad benè operandum.

Secundò, fit maior cæcitas in intellectu.

Tertiò, efficacior propensio in malum in voluntate.

Quartò, ipsum peccatum altiùs suas radices agit, & fortius efficitur in anima. Itaq; dubitari non potest, maiori opus esse conatu, & maioribus viribus ad agendam pœnitentiam, post primam remissionem, & ita deinceps post secundam & tertiam, & sic in

inf.

infinitem. Rursum vires ipsæ debiliores fiunt; Deus etiam magis auersus, ut à magis ingrato: quis ergo nō videt quantum sit periculum? Itaque opus est, ut frequenter, & nos ipsos, & alios deterreamus à facilitate hac relabendi in peccata: & multo magis ab hac estimatione, quod facile sit iteratō, & infinitis pœnitere: verba illa Petri subinde, & frequentius inculcanda:

2. Pet. 2.

Si enim refugientes cōinquinaciones mūdi in cognitione Domini nostri & Saluatoris IESV CHRISTI, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viā iustitiæ, quam post cognitionem retrorsum conuer- ti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato: & cætera quæ eo loco dicuntur. Illud etiā Eu-

Lucæ. 11.

angelij, ad quod & Petrus alludit: sunt nouissima hominis illius peiora prioribus: timendum magis est (ut inquit Beda) quam exponendum.

Ergone desperandum sapè relabentibus?

Petrus Soto De pœnitent. lection. 17.

Valdè curandum est, ne in desperationē præcipitentur peccatores: sed non parum etiam cauendum, ne patrociniū latæ huic viæ, quæ ducit ad perditionem, præstemus. Certè nos putamus (ait Petrus Soto) vehementissimè timendum illis, quos assuetos peccatis, & frequenti huic pœnitentiæ, qui nunquam efficaciter vitarunt illa, vltimus mortis articulus inuenit. Est enim in hoc loco sen-

co sententia Augustini magnæ prudentiæ & sapientiæ Christianæ consideranda. *Va* (inquit) *peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus, sitata verò (etiam si pro ipsis sanguis Filij Dei sit effusus) quamuis tam magna sint, vt omnino claudi contra sese faciant regnum Dei, sæpè videndo omnia tolerare, sæpè tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque vtinam, ô Domine, non omnia, quæ non possumus prohibere, faciamus.* Itaille in verba illa 4. ad Galat. *Timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis.* Quæ postea citauit ipse in Enchridio ad Laurentium. Itaque ex hoc apertè constat, quod experientia videmus, quando sæpius repetuntur peccata, faciliora videri, & ideò leuius de his agi pœnitentiam, cæterum ex dictis constat, & grauiora esse, & maiori egere pœnitentia. Timendum itaque meritò, ne in vltimo mortis articulo, eodem modo agatur pœnitentia, vt ante. Non omnem qui redit ad peccatum tam vehementer putamus terrendum, sed peccata infirmitatis etiam mortalia sunt, quæ ad modicum tempus præoccupant: cæterum consueta, & consuetudine pro nihilo aut pro minimo habita, & tamen mortalia illa, non satis possumus dicere, quam sint timenda, & quantum ab eis Christiani deterrendi.

DE CONTRITIONE PRIMA POENITENTIAE parte.

Quod est vera ac salutaris poenitentiae principium atq; origo?

2. Tim. 2. **D**iuinae gratiae operatio cor nostrum ad se conuertētis: vnde Apostolus eos qui veritati contradicunt, modestè corripendos monet: *ne quando (inquit) det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem, & respiscant à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatē.* Est igitur liberale donum Dei poenitentia, nullis nostris meritis redditum, sed infinita Dei misericordia propter nomen suum donatum nobis, iuxta scripturae sacrae, & Ecclesiae definitiones. Quae doctrina verae humilitatis & solidae pietatis, vt solidum fundamentum, retinenda est.

Solidae pietatis radix

Ex quo principio & quo ordine actus poenitentiae in nobis oriuntur?

Cum omnes actus poenitentiae in nobis sint, & ex Dei motione, & ex nostri arbitrij libertate, & qualitate, nec semper eodem principio oriuntur in nobis, neque eodem ordine procedunt. Hoc manifestissime ipsa experientia ostendit, dum alius timore poenarum, alius praemiorum intuitu, alius diuinae bonitatis consideratione conuertitur, prout

prout scilicet Deo placet, (qui habet corda
 nostra in manu sua) & prout affectus noster,
 dispositus est. Non possunt itaque sub arte
 & certa ratione comprehendere hæc diuinæ
 gratiæ admiranda opera. Quia verò suaui-
 ter Deus omnia disponit, hominesq; iuxta
 ipsorum dispositiones mouet, ipsa experi-
 entia docet, peccatores corporeis delecta-
 tionibus affectos, facilius & communius
 pœnarum timore trahi.

*Qui communiter inueniuntur gradus ad pœ-
 nitentiam veram?*

Post primam illam diuinæ gratiæ opera-
 tionem, communiter quinque actibus, quasi
 quinque gradibus, ad veram pœnitentiam
 peruenitur.

Primus est fidei veraciter assentientis di-
 uinis testimonijs.

Secundus, timoris seruilis, quo pœna-
 rum consideratione à peccato, dilectioneq;
 eius retrahimur.

Tertius spei, quo remissionem peccato-
 rum consecuturos nos sperantes, iam ea vt
 emendabilia detestamur.

Quartus veræ charitatis, quo propter De-
 um ipsa peccata displicent.

Quintus denique Timoris filialis, quo
 Deo vltro ob reuerentiam eius emendatio-
 nem vitæ, & satisfactionē, prout possumus,
 offerimus. Hi tamen non omnes semper

*De his
 multa*

pulchra concurrunt, nec quando adsunt, semper
Paroch. formaliter & explicitè inueniuntur.

Cate- Quando est necessarium de peccatis
chistis vi- conteri?

lissima le- Post peccatum letale admissum pœnitentia seu dolor animi necessaria est, tum quia
cti. 8. de remedium, tum quia à Deo præceptum, Li-
penit. & cet verò dilatio pœnitentiæ non semper no-
lectio 9. uuum peccatum sit, reddit tamen peccatum
Petrus de idem grauius, & peccatorem grauiissimo pe-
Soro. riculo iræ Dei, destitutionis gratiæ, grauior-
 um peccatorum, cæcitatibus mentis, ac denique
 damnationis æternæ obijcit. Audien-
Apoc. 2. dus itaque Dominus, cum ait: *Memor esto,*
unde excideris, & age pœnitentiam, & prima ope-
Rom. 2. *ra fac: sin autem, venio tibi, & mouebo candela-*
Eccle. 5. *brum tuum de loco suo. Secundum duritiam tuam,*
& impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in
die iræ, ait Paulus. Vnde Sapiens: *Ne tardes*
conuerti ad Dominum, & ne differas de die in di-
em: subito enim veniet ira illius, & in tempore vin-
dictæ disperdet te.

Quibus in casibus nouum est peccatum ob
 commissa non dolere?

Primò, cum periculum est præsens vitæ
 corporalis, aut etiam spiritualis, vt cum gra-
 uis aliqua persecutio, aut tentatio hæresis,
 aut alterius letalis peccati imminet, in qui-
 bus speciale Dei auxilium requiritur, & gra-
 tia eius opus est.

Se-

Secundò, cum agendum aliquid occurrit, quod conscientiam mundam requirit, verbi gratia Sacramentum aliquod aut suscipiendum, aut administrandum, ne videlicet sacrorum violatione sacrilegi efficiamur.

Tertiò, cum peccata memoriæ occurrunt, & homo Deum à se offensum cogitat.

Quartò, cum Ecclesia, & populus Christianus graui aliquo laborat periculo, sub aliquo videlicet iræ Dei flagello. Cum enim tunc teneantur omnes iram Dei placare, tenentur peccata sua, quibus illa prouocatur, auferre, maxime verò maiores, & sanctioris status homines. Vnde frequentissimè per Prophetas increpat Dominus hunc defectum veræ pœnitentiæ inter eius flagella.

Non est, inquit Esaias, non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. *Esaiæ. 64.
Ezech. 13.*

Quintò, cum se offert proximi nostri magna necessitas, quam non, nisi orationibus & gratia Dei speciali subleuare possumus, tenemur ad cor redire, & iratum Deum placare gemitu ac pœnitentia propriorum delictorum.

Sextò, cum quid agendum est, vbi diuina gratia opus est ad animæ salutem, siue propriæ, siue proximi, vt si quis ad martyrium raperetur, siue arduum aliquod opus ad salutem spectans aggrediretur. Sit exemplum huius fortis illa Iudith. Huc pertinet, quo-

ties prædicandum est verbum Dei ; quoties admonendi peccantes, & huiusmodi alia.

Tenetur né festis ac Dominicis diebus sub speciali peccato de commissis conteri, qui sibi conscius est?

Hoc docti viri & sancti quidam asserunt: alijs non placet, quod conscientijs videatur laqueos iniicere. At verò id ita grauat, vt parum, vel nihil ad rem faciat, an nouum peccatum sit in festo non pœnitere. Quanto enim diutius in peccato quis hæret, & quanto plura se offerunt, quæ à peccato deterrere debent, vel ad gratiam quærendam

Regula de intellectu preceptorum affirmatiuorū explicatio.

In conscientie casibus quorū potissimū iudicio stādum sit.

asfringunt, tanto grauius peccatur. Et hæc regula, præcepta affirmatiua non obligare nisi in necessitate, non de extrema necessitate accipienda est solum, sed cum occurrit casus, vbi recta ratio iudicat, vel iudicare debet, contra illam virtutem esse, si non fiat eius actus. In hoc autem iudicio magis credendum sanctioribus, quam argutioribus. Qui tutissimè agere volet, diligenter consideret tempus, quod in peccatis egit, & occasiones omnes quibus ad agendam pœnitentiā prouocatus est, vel ex diuinis inspirationibus, vel flagellis, siue externis admonitionibus, aut occurrentibus etiam festiuis diebus, & horum omnium, tanquam peccatum suum non parum coram Deo aggrauantium,

tium, veraciter pœniteat, & in iudicio confessionis ita exponat, & in futurum hæc omnia diligentissimè caueat. Huc facit quod Ignatius Layola vir in conscientia negotio proculdubio exacti iudicij, censuit peccatū non leue esse, pias Pastorum Ecclesie cohortationes, sanctionesque audere aspernari ac transgredi, cum pro infidelium expugnatio ne, ac pace fidelium indulgentia conceduntur confitentibus & communicantibus.

Cum peccata per pœnitentiam dimissa memoria occurrunt, quid faciendum?

Respondet Hugo de S. Victore: *Deus ita peccatorē à culpa æterna absoluit, vt vinculo perpetua detestationis obliget.*

Quanta debet esse contritio seu dolor vt ad peccati remissionem sufficiat?

Requiritur & sufficit, vt ex vera Dei charitate super omnia emānet, ipsamque habeat coniuñctam, si enim ille animi motus, ex alijs, quam Dei amore, procedit, non ad Deum, sed ad illud bonum ducit. Si procedit ex Dei amore, sed non perfecto, non cōiungit perfectè. *Qui itaq; non diligit, manet in morte. Et si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Hæc est: Quæ operit multitudinem peccatorum.*

1. Ioan. 5.

1. Cor. 13.

1. Pet. 4.

Quotuplex dolor de peccato?

Duplex: voluntatis alter, qui odium peccati, detestatio & nolitio dici potest, qui

X 4 in

in pœnitente summus esse debet, vt scilicet peccatum præ cæteris omnibus malis detestemur, odio habeamus, & nolimus: quoniam hic dolor respōdet amori charitatis, qui principatum & dominium ita habere debet in corde, vt omnia alia quæ amantur, minus amentur quam Deus.

Alius est dolor sensus, quem non necesse est summum esse. Et quamuis satis durus sit, cuius mentis dolorem oculi carnei nequeunt declarare, potest tamē vera esse aliquando pœnitentia, quando nullus est sensus dolor.

Hic dolor qualis esse debet?

Integer & verus, sicut verus Dei amor, vt excedat in Dei oculis omnem alium affectū voluntatis; ita scilicet, vt animam excitet ad conuenientia opera charitatis & pœnitentiæ, & eam aduersus contraria omnia sic premuniat, vt secundum præsentis voluntatis statum, quicquid boni aut mali occurrerit, id minus quam Deus ametur, minus quam peccatum odio habeatur: adeo vt potius quod is malum incurrere velis quam peccatum, & quolibet bono priuari quam Deo.

Quis modus ac via rectè agendi pœnitentiam?

Primum, volentem agere integrè, ante omnia diuinæ bonitati, eiusque gratiæ inniti o-

ti oportet, & per humilem instantemque orationem, ante omnia gratiam pœnitendi sibi à Deo postulare necesse est. Proponendę sunt igitur Sanctorum & Prophetarum orationes, quibus tam instanter illi hoc à Deo postulant, & confitentur se id à seipsis habere non posse. Vnde illud Hieremię: *Conuerte Ier. 31. me Domine, & conuertar, quia tu Deus meus.* Et quod sequitur est valde considerandum, *Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi semur meū: Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentię meę.* Itaque opus est, vt Deus ostendat nobis, quales in peccato simus, & qualia sint ipsa peccata: ostendat (inquam) non tantum proponens ante oculos, sed etiam agens vt consideremus: & ita consideremus, vt consideratio penetret voluntatis ipsius intima. Itaque quoties audieris pœnitentiam, aut aliquid ad eam pertinens præcipi in scriptura, intelligas statim tibi id à Deo esse postulandum. Cum ergo dicitur *Optimum per Prophetam peccatrici animę: Leua oculos & facile tuos in directum, & vide vbi non prostrata sis, sta exercitiū. Ier. 3.* timid conuertamus in orationem, vt videlicet ipse qui præcipit, det leuare oculos, & perspicere atque perpendere, quam longè à Deo per peccatum recedamus.

Hunc orandi affectum ad impetrandum donum pœnitentię qua ratione excitabo?

X 5 Si

*vide insti-
tu Christ.
Pet à So-
to in Sym-
bol art 10.
Coniectu-
ra veræ
pœnitent-
iæ.*

Si gratiam remissionis peccati, ac iustificationis, veluti par est, plurimi facias. Nam pro nihilo aut pro minimo ducere remissionem peccati, & gratiam pœnitendi, vnum est eorum quæ maximè timenda sunt Christianis, quibus scilicet maximè indigni fiunt illis donis, sicut inter præcipua signa & coniecturas veræ pœnitentiæ, non minimum est, magni aestimare hoc donum, & ob hoc maximè Deo gratum esse.

Quibus modis inducendi sunt Christiani, vt singularem hanc Dei gratiam plurimi faciant?

Tribus præcipuè modis:

Primò, peccati grauitas quantum fieri potest exaggeranda, & mala quæ consequuntur.

Deinde extollenda remissionis gratia & dona, quæ simul in remissione peccati conferuntur à Deo.

Tertiò denique, quanta gratia, quam nullo debito, imò quantis contrarijs debitis dationis, quam nulla nostra industria, labore vel minima attentione detur à Deo.

Quæ est peccati cuiusq; grauitas?

Non potest ea satis explicari. Est enim contemptus Dei & offensa, opere ipso atque facto abnegatio ipsius, qua præfertur creatura ipsi in corde peccantis.

Sed

Sed nihil magis immensam grauitatem hanc peccati ostendit, quam quod non sine filij sui sanguine & morte placuit Deo peccata remitti, & cum demum post hanc remissionem tanto pretio comparatam peccamus, vt Paulus ait rursus *crucifigimus ipsum filium Dei, & ostentui habemus: & (vt alibi ait) Quanto putatis deteriora mereri supplicia, scilicet quam transgressores legis veteris, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, & spiritui gratia contumeliam fecerit? Quid potest in peccati exaggerationem grauius dici? Toti Trinitati contumeliam infert, sanguinem Christi polluit, ipsum Christum conculcat.*

Gratiarum remissionis quantum est donum?

Hoc ex eo colligas, quod Deus nos reconciliat sibi, & veram nobiscum inicit amicitiam atq; foedus. Quid verò maius quam amicum esse Dei? *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Et quam intima hæc amicitia, per quã tota Trinitas nos inhabitat? *Ad eum (inquit) veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Spiritum quoque suum nobis dat, vt Ioannes inquit: *In hoc cognoscimus, quia in eo manemus, & ipse in nobis, quoniã de Spiritu Sancto suo dedit nobis. Proprio filio suo non pepercit, sed (vt Paulus inquit) pro nobis omnibus tradidit illum, vt merito quod sequitur summum hoc Dei donum commendat; Quomodo cum illo nõ omnia nobis*

nobis donauit? Itaque hoc Dei donum non satis dignè commendari potest, de quo merito illud Saluatoris ad Samaritanam dicere possumus: *Si scires donum Dei.* Denique B. Augustinus tanti hoc opus iustificationis facit, vt verba illa Christi: *Qui credit in me, opera qua ego facio ipse faciet, & maiora horum faciet;* de hoc iustificationis opere exponens, quod cooperante Deo, nos etiam facimus. *Profusus* (inquit) *maius hoc esse dixerim, quam est cælum & terra, & quaecunque cernuntur in cælo & in terra. Cælum enim & terra transibit, prædestinatorum autem, id est, eorum quos præscit salus & iustificatio permanebit. In illis tantum opera Dei, in istis etiam imago Dei.* Et denique Angelorum creationi hoc opus ibi conferens: *Non* (inquit) *hic audeo præcipitare sententiam, intelligat qui potest, iudicet qui potest, vtrum maius sit iustos creare, quam impios iustificare. Certè enim, si equalis est vtrumque, potentia, hoc maioris est misericordie.* In quibus verbis magna est commendatio huius diuini doni. Si Deus propter hominem aliquem nunc integrum mundum, non minorem, quam hic est quæ habemus, de nouo crearet, crearet cælum & terram, & cætera omnia, Angelos & cuncta Spiritualia quanti fieret? Et tamen absque comparatione iustificationis opus maius est.

*Quo merito perditam tantam gratiam
obtinemus?*

Donat

Donat nobis gratias pius ac misericors Dominus, nullo merito nostro, Apostolo dicente: *Commendat Deus charitatem suam in nobis. Quoniam cum adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* *Rom 5.* Quantum verò hoc, ut cum post hoc beneficium, inimicos nos constituerimus, rursus nos inuitet ad amicitiam & recipiat: *Pro Christo (inquit Paulus) 2. Cor. 5.* legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. *Obsecramus per Christum reconciliamini Deo.* Denique & ita trahit, ut nisi traheret nequaquam redire possemus: *Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit illū.* *Ioan. 6.* Merito itaque gloriatur Deus: *Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me.* *Esai. 43.* Et illud: *Non propter vos ego faciam domum Israel, sed propter nomen sanctum meum.* *Ezech. 36.* Itaque qui peccauit, se quasi in profundissimā voraginem deiectum atque à se ipso præcipitatum cogitet, & absorptum à vi atq; tempestate profundissimi maris, non aliter certè quam Ionas fuit in ventre ceti, & ita opus est, ut oret & clamet ad Deum pro gratia pœnitentiæ, sciens quod non possit se magis à peccato excutere, quam demersus ille, ex tanta profunditate potuit emergere. Hinc sunt voces illæ Prophetarum: *Intrauerunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo, profundi, & non est substantia, hoc est, vires meæ ad resurgendum. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* *Psal. 68.* Propterea clamat: *Sal-*

Sal-

Saluum me fac Deus. Et inquit: Laboravi clamans, &c. Dum spero in Deum meum. Ecce sola hæc spes restat. Et post pauca, orat, eripi omnino sibi diffusus: Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus. In multitudine misericordiae tuæ, &c. Quæ attentius sunt consideranda. Eripe me de luto, &c. Non me demergat tempestas aquæ, &c. Neq; urgeat super me puteus os suum. Lapsa est in lacu vita mea, posuerunt lapidem super me. Inundauerunt aqua super caput meum, dixi, perij. Inuocaui nomen tuum

Tren. 4.

Iona. 2.

Domine de lacu nouissimo. Tota abyssus vallauit me, pelagus cooperuit caput meum. Quibus omnibus exhortandi sunt peccatores, & stimulandi ad orandum pro dono pœnitentiæ, & admonendi, vt cum ita orauerint, etiam agnoscant sibi orandum esse, vt eis hoc gratis à Deo donetur.

Post hanc orationem quomodo actio pœnitentis fieri debet?

Primò vires animæ interiores diligenter colligendæ, & ab omni mentis euagatione, seu meditatione alienarum rerum reuocandæ sunt, atque ita in quiete & tranquillitate in consideratione bonitatis diuinæ, & malitia peccati exercendæ, atque ex his affectus pij in Deum eliciendi, non semel atque iterum, sed frequentissimè, & quidem cum conatu proficiendi.

Qui

*Qui probabo an affectus pœnitentia meae
verus & integer sit?*

Inuestiga an opera pœnitentis ac conuerſi facias, quorum summa est vera & seria vitæ mutatio, de qua Augustinus in Enchiridio. *Cauendum est (inquit) ne infanda illa crimina, qualia qui agunt regnũ Dei non possidebunt, quotidie putentur perpetrãda, & elemosynis quotidie redimenda. In melius quippe mutanda est vita, & per elemosynas de peccatis præteritis propitiandus est Deus.* Cap. 70. Ista itaque mutatio vitæ, præcæteris est cogitanda, & in omnibus actibus pœnitenti præ oculis constituenda. Nulla re apertius agnosci potest, vera pœnitentia, quam in futuris cauendis, non solum peccatis, sed etiam occasionibus, vel tentationibus, vel societatibus & periculis illis, ex quibus prolapsus se quis agnoscit. Igitur veram vitæ mutationem requirit Augustinus, & proculdubio requirenda est maximè à consuetudine peccandi, à facilitate pro minimare transgrediendi mandata Dei, denique à vita liberiori atque laxiori, quæ sine Dei timoris freno præceps agitur, licentiosa libertate.

Quam requiris à verò pœnitente vitæ mutationem?

Illam putamus sufficere, (vt condescendamus, quantum fieri potest, fragilitati nostræ) qua viuitur saltem sine quotidiana trans-

transgressione præceptorum Dei, sine contemptu illo, quo pro nihilo fere & sola negligentia & incuria, mortaliter peccatur. His enim nihil periculosius putamus in vita: vltimè que adeo vt vehementissimè putemus, timendum esse de salute eorum, quos in istis extrema inuenit hora. Vbi id obseruandum quod de omnibus peccatis mortalibus agimus, etiam illis, quæ præter magnum proximi damnnum leuiter committuntur: de periurio videlicet in leuibus aut iocosis; inhonestis aut tupibus colloquijs aut cogitationibus, aut internis delectationibus, & similibus, à quibus maximè putamus esse timendum in vita Christiana. Itaque (vt valdè suauiter & blandè loquamur) qui vitam ita instituit, vt à consuetudine peccandi, & facilitate se cohibeat, quanquam nonnunquam labatur etiam in mortalia, etiamsi aliquando frequentius, modo non pro nihilo ducat, non contemnat pœnitentiam vel posthabeat, satis mutasse viam videri potest, modo in hoc conetur proficere, quod omni Christiano quidem, sed pœnitenti maximè putamus necessarium.

Quæ in vita maximè timenda.

Quando Confessio nulla est propter defectum contritionis?

Primò, quando habet propositum contrarium contritioni, videlicet peccatū committendi, vel commissum placet.

Se-

Secundò, quando vel ipse pœnitens certè in se deprahendit defectum pœnitentiæ, vel ipse Sacerdos id apertè aduertit, vt si statum peccati deferere nolit, vel manifestas occasiones vitare, & similia.

Tertiò, quando talis ac tantus est defectus, vt si pœnitens ac Confessarius suo functi fuissent vtrinq; diligenter officio, ipsum deprahendissent. In omnibus his sacrilegiũ & nouum peccatum committitur, & repetitione confessionis opus est.

DE CONFES- SIONE.

Quid de Confessione altera pœnitentiæ parte sentiendum?

Confessionem omniũ peccatorũ mortalium, quæ post diligentem inuestigationem memoriæ occurrunt, coram Sacerdote absoluendi potestatem habente, ita esse necessariam, vt sine ea re ipsa, vel voto facta, peccata ipsa nullo modo remitti possint, idque ex ipsius Christi institutione.

Qua ratione id probas?

Promisit Dominus Petro remittendi potestatem peccata primum: Deinde cæteris & id. Matt. 16.
Apostolis, quam & post resurrectionem contulisse

tulisse testis est B. Ioannes, cum ipsis apparēs
Joan. 20. insufflauit & dixit: *Quorum remisistis peccata,*
remittuntur, & quorum retinueritis, retēta sunt.
 Apostoli itaque eorumq; successores, à Do-
 mino iudices constituuntur, ad discernendū
 eos, quibus remittenda sunt peccata, ab his,
 quibus retinenda. Frustrā verò hoc factum
 esset, nisi subditi essent illis rei omnes: rīdi-
 cula namque esset iudiciaria potestas: cui
 nullus esset subditus. Cum itaque omnes ex
 Christi institutione, de peccatis non aliqui-
 bus, sed omnibus à Sacerdotibus iudicari
 debeant, & remedium penes illos repositum
 sit, necesse est, omnes quæ norunt peccata
 confiteri, & medelam suæ infirmitatis ab ip-
 sis deposcere.

*Quando cœpit vsus Sacramentalis
 Confessionis?*

In ipsis Ecclesiæ primordijs, atque ipso
 Apostolorum tempore. Scribit enim B. Lu-
 cas, quod Paulo apud Ephesum docente, &
 miraculis confirmante Doctrinam, *multi*
credentium venerint, confitentes & annunciantes
actus suos. Vbi & de combustis libris eorum
Act. 19. qui fuerant curiosa sectati, fit mentio, cuius
Num. 5. rei & in veteri Testamento, & in Ioannis
Leuit. 5. 6. Baptismate non obscura præcesserunt deli-
 niamenta.
7.
Matth. 3.
Mar. 1.

*Cur tantopere placuit Christo, tam graue onus
imponere hominibus in lege sum-
mae libertatis?*

Primò, ad frangendam superbiam huma-
næ elationis, seque ipsum cognoscendum,
plurimum conducit confessio.

Deinde, quod ad peccati satisfactionem
& cauenda futura, pudor ille valet plurimū,
& apud Deum & apud homines.

Denique, ad peccata detestanda, & ad
certiorem doctrinam circa mores à Sacer-
dote accipiendā, & ad auferendam noxiam
securitatem ac desperationem, & ad conse-
quendum non minimam consolationem,
ex audita absolutione, est ipsa confessio uti-
lissima.

*Difficultatem illam, qua re leniendam
arbitraris?*

Primò, succurrat certissima fides, subie-
ctio ac reuerentia, quæ Christo & Ecclesiæ
debetur. Persuadeat sibi certo fidelis quisq;
non potuisse quicquam excogitari, aut im-
poni à Domino fidelibus suis, suo sanguine
redemptis, nisi ob maximam eorum utilita-
tem, & nisi ille id ita lenire posset, vt omnis
quæ videtur amaritudo & difficultas, con-
uertatur ab eo in dulcedinem.

Secundò, magna est consolatio in re tam
necessaria ad salutem, habere consilium &
testimonium prudentis & timentis Deum,

Y 2 & amj

& amicissimi, & qui etiam sub propriae salutis periculo, quantum potest homo, certum reddat poenitentem, sitque apud Deum veluti fideiussor.

Postremò summæ est misericordiæ Dei, homines dare, qui non vt homines tantum, sed vt Dei etiam ministri, & consulere, & efficaciter operari possint, & teneantur, quæ salutis nostræ procurandæ necessaria sunt.

Quando in peccato mortali existentes confiteri obligamur?

Vulnera absque remedio & curatione gestare, res est plenissima periculi. Sunt verò casus tres, quibus euenientibus, si quis in mortali delicto est, & non confiteatur, ad vetera sua peccata nouum adjicit.

Primus, tenentur qui rationis participes sunt omnes anno quolibet, ad minimum semel, confiteri.

*Distinct.
17. c. Omnes viri
usq; sexus.*

Secundus, est in articulo, & probabili periculo mortis, quod qui tunc sciens prudensque negligat confiteri, cum habeat in conscientia peccatum letale, non solum propter illud punietur, verum etiam ob transgressionem diuini præcepti de Confessione.

Tertius est, quando suscipiendum est Sacramentum Eucharistiæ, aut quodcunque aliud Sacramentum, vt quorundam non improbabilis est opinio, sicuti & aliorum non est reiicienda, qui ad alia recipienda, contritionem sufficere existiment. Ex-

Extra ordinem posset quispiam ad confessionem obligari, ipso iure naturæ, vt si nunc sit Confessarij copia, quem scias te alias non habiturum: aut si graues tentationes vrgeant, & peccandi pericula, quibus non nisi crebriori confessione obuiare possis, sed hæc specialia.

Quis Confessionis minister?

Solus Sacerdos ordinariam vel delegatam in pœnitentem habens iurisdictionem. Alteri facta confessio nulla est, nec quicquã valet absolutio, quia videlicet sententia lata ab eo, qui iudicandi potestatem non habet, irrita penitus & inanis est. In mortis tamen articulo cuius Sacerdoti Ecclesia auctoritatem concessit periclitantem audiendi atque absoluendi.

Qualis esse debet Confessio?

Voluntaria, præmeditata, diligens, integra, accusatoria, propria, contrita, verecunda, humilis, spei plena, vera, nuda.

*Ex Metho-
do confes-
sionis.*

Quare voluntaria?

Quandoquidem optimus quisque Christianus liberè & voluntariè, non solum ex consuetudine, timore, aut verecundia humana, sed verò salutis propriæ desiderio confiteri debet, alioqui Confessio non esset Deo accepta, nec homini salutifera: vtpote quæ non procederet ex charitate: sed tan-

*Huc Cate-
chista in
Praxi. nu.
32. remit-
teret. Vo-
luntaria.*

tum ne homo omnibus esset despectui, tantquam ab auito more recedens, quanquam & hæc possint mouere.

Quæ sunt præmeditanda confessuro?

Præmeditata, seu vt alij dicunt, discreta.

Homo debet præmeditari, quomodo in Confessione dicet, quæ coniunctim, quæ diuisim. Hoc est, quod dicunt alij prudentem seu discretam oportere esse Confessionem, qua prudentia in querendo idoneo Confessario maximè opus est.

Quanta diligentia opus est?

Diligens.

Debet idem tantam diligentiam adhibere, ad peccata sua in memoriam reuocanda, & vitæ antea actæ subducendam rationem Sacerdoti Dei vicario, quantam adhiberet, si pro re temporali, eaq; ardua & magni momenti reddenda foret ratio. Alijs plus temporis, alijs verò minus necessarium est ad examinandam conscientiam: secundum quod in breuius aut longius tempus, confessionem distulerint, aut interea magis minusuè solliciti fuerint de peccatis suis memoriæ committendis. Sicut pro euitanda morte corporali, omnimoda diligentia obseruatur: ita expedit vt pro recuperanda æterna vita omnis cura ac diligentia cautius adhibeatur. Augustinus: *Cum gaudio debet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus.* Itaque pœnitens paratus sit face-

facere pro animæ vita recipienda, quæcunq;
faceret pro corporis morte vitanda.

De confessionis integritate quid sentiendum?

In Confessione ex industria peccatum *Integrâ*
mortale, tam certum quam dubium, cum
circumstantijs necessarijs non est reticendū,
Deus enim dimidiatam Confessionem nō
accipit, nec dimidiatam veniam dat, quia
nunquam ab vno peccato quempiam ab-
soluit, quin eadem opera ab omnibus absol-
uat: Quod si confitens negligit discutere cō-
scientiam suam, id apud se parui faciens, &
aliquid Confessioni necessarium omittat,
integram non facit peccatorum Confes-
sionem.

*Satisné fuerit mihi vt à Confessario interro-
gatus de peccatis bona fide re-
spondeam?*

Vtut sese hoc habeat, certè non expedit, *Accusato-*
& raro benè confitètur, qui quasi in proprijs *ria.*
peregrini, nihil de se referre norunt, sed ad
interrogata tantum respondent. Quocirca
peccator debet se accusare, peccata sua Sacer-
doti exponere, & antequam Confessario se
se presentet conscientiam suam examinare,
& non expectare quoad vsq; Sacerdos eum
de singulis interroget. Dumque peccata ex-
ponit non debet sibi parcere: non Deo suam
culpam ascribere, non fortunæ, non con-

stellationi, non diabolo, non sodalitati, non mundo, non complexioni, non carni, sed debet circumstantias aggrauantes explicare, culpamque omnem (salua narrationis veritate) in se transferre. Non enim peccatum est nisi voluntarium. Augustinus: *Rectus est, & benè inuocat Deum, qui in omnibus malis, qua patitur, se accusat, non Deum, & in bonis, qua facit, non se laudat, sed Deum.* Sicut enim repellit Deus peccata sua defendentem: sic recipit confitentem. Apud quem iudicem iustum & misericordem, qui se de peccato accusat, ille se Excusat, & qui se de peccato excusat, ille se accusat.

Propria.

Suntne aliorum peccata in Confessione detegenda?

Prudentia est eligere Confessarium qui non norit criminum consortes, quando ille commodè fieri potest Coniuncta seu lachrymabilis.

Nequaquam, sed qui de peccatis confitetur, de suis tantum, non de alienis peccatis confiteatur, & eorum qui in scelere fuerunt participes nomina dissimulet silentio, nisi peccati species exprimi non possit citra declarationem eius, qui criminis conscius & particeps fuit.

Quæ cordis compunctio in enarrandis peccatis requiritur?

De peccatis est confitendum cum displicentia omnium peccatorum mortalium commissorum, supra omne odibile, & cum proposito vitandi omne peccatum mortale,

le, supra omne vitabile, de quibus quando amplius compungimur, tanto magis peccatorum vincula, quoad pœnam relaxantur. Sunt igitur cum dolore & amaritudine cordis peccata in memoriam reuocanda. Nequaquam enim verè pœnitentiam agit, qui ex peccatorum recordatione suorum, nullam habet Spiritus tribulationem, quod quidem reprobis est peculiare.

Verecundiam in Confessione requiris?

Omniò, sed non eò vsque progredien-^{Verecunda}tem, vt quod explicatu necessarium est, vel dissimuletur, vel extenuetur. Pœnitens peccata sua cum pudore, & verecundia explicare debet, sic vt inde turpitudinem vel fœditatem propriæ animæ erubescat. Quæ verecundia ex Dei gratia ascribitur ad partem satisfactionis, si pro Dei amore amplectendo superatur. Bernardus: *Idè iubemur confiteri peccata, vt erubescantiam habeamus pro pœna.* Erubescantia enim magna est pœna: & idè qui pro Christo erubescit, dignus est misericordia, siquidem quâtum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum eidem placet verecundia pœnitentis. Sunt tamen, qui, vt minus verecundentur, quia in idem peccatum sæpè recidunt, frequenter Confessariû mutant: cum potius deberent ad maiorem verecundiam eidem sæpius & clarius confiteri. Horum infirmitas tolerabilis est.

¶ 5 *Quant*

Quam animi submissionem exigit?

Humilis.

Confessio quatuor modis debet esse humilis.

Quantum ad intellectum ut pœnitens agnoscat se miserimum peccatorem, & venia indignum.

Quantum ad affectum, ut Confessario, & diuino iudicio se subijciat.

Quantum ad linguam, ut cum reuerentia & tremore, quasi coram Christo peccata sua exponat.

Quantum ad actus exteriores, ut vir pœnitens aperto capite (si patitur sanitas) ob reuerentiam Christi & Sacramenti, flexisque genibus humiliter sua explicet peccata. Melior est, enim in malis factis humilis confessio, quam in benefactis superba gloriatio. Non potest autem cor humiliari coram Sacerdote in confessione, nisi prius fuerit contritum. Vnde in Psalmo dicitur: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Prius dicitur contritum, & postea humiliatum. Hinc fiet, ut pœnitens promptè subeat pœnam & satisfactionem in illo iudicio moderandam, sitque, ut requirunt nonnulli, confessio parere parata.

Confitens qua spe debet esse?

Spe nixa.

Nimirum se posse à Deo veniam consequi, quantumcunque peccauerit, si modo in confessione facienda suo strenuè perfungatur

gatur officio. Quandoquidem pœnitentiæ
quæ ex fiducia non proficiscitur est inutilis
& expers veniæ, manetq; sine misericordia.

*Licetne ex humilitate, de peccatis quæ non
feceris fateri?*

Ex humilitate id proficisci nequit, cum ^{Vera.}
humilitas quæ virtus est, cum veritate non
pugnet. Proinde in confessione nihil falsi ex
industria homo debet inferere, fictè se lau-
dando vel vituperando: quia esset menda-
cium in iudicio Sacramentali, & faceret in-
iuriam iudici, id est, Confessario, Christi
vicario.

Quam denique nuditatem deposcis?

Confessio debet esse nuda, absque obscu- ^{Pura sem}
ritate verborum occultante peccata, aut pec- ^{nuda.}
catorum circumstantias. Omnia enim pec-
cata quantumcunque turpia, exponenda ta-
liter sunt, vt Confessarius plenè ac clarè in-
telligat, cum circumstantijs aggrauantibus.
Cauendum valdè, ne aut Rhetoricis coloribus,
aut alijs minus ad rem pertinentibus,
aut denique multiloquio, aliquo, vel orne-
tur, vel oneretur confessio.

*Quæ ex illis omninò necessaria sunt, aded vt sine
ipsis nec Confessio, nec Absolutio
quicquam valeat?*

Duæ sunt, Prima, vt sit cum peccato. ^{Ex inst.}

rum

Sacerdot. rum contritione, lachrymabilis, vt dicunt
Pet. Soto. cuius defectus magna ex parte, vel nullum
 reddit Sacramentum ipsum, vel fructu eius
 & vtilitate priuat.

Secunda, Integritas est, vt nihil scilicet
 omittatur, cui cohæret veritas: Nam ex ipso
 Christi præcepto in huius Sacramenti insti-
 tutione, necesse est omnia mortalia, quo-
 rum sibi quisq, conscius est, secundum spe-
 ciem & numerum, quantum pro humana
 fragilitate fieri potest, vni eidemque Sacer-
 doti integrè confiteri. Sunt inquam confi-
 tendæ species omnes, quæ diuersam habent
 malitiam moralem, vt furtum & rapina, for-
 nicatio simplex, & adulterium, non autem
 quæ eandem, vt diuinatio per somnum, per
 garritus auium.

*Numerus
 vt sit in
 Confessio-
 ne expli-
 cendus.*

Quod ad numerum attinet, numerus cer-
 tus, certò manifestandus: Dubius conueni-
 entiori modo quo fieri potest. In peccatis in
 quibus diutiùs perseueratum, diurnitas
 potiùs & frequentia & propensio voluntatis
 in peccatum explicanda, quam numerus.

*Quæ circumstantiæ peccatorum in Confes-
 sione explicandæ sunt?*

*Circūstan-
 tiæ varian-
 tes speciē
 explican-
 dæ in Con-
 fessione.*

Quando propter circumstantiam species
 peccati mutatur, quia videlicet aliud præ-
 ceptum violatur, erit illa vna cum opere ne-
 cessariò, explicanda, verbi gratia vulnerare
 seu occidere, peccatum est contra præcep-
 tum

tum quintum, si id facias vt fruaris aliena hereditate, aut vxore, contra nonum, aut decimum delinquis.

Secundò, quod de circumstantijs variantibus speciem dictum, id etiam de illis, quæ transgressionem mortalem eiusdem speciei, vel contra idem præceptum addunt, est intelligendum. Vt si quis furetur centum, vt totidem alia possit turari. Occidit Petrum vt ei detur oportunitas, vt Ioannem occidat. Itaque quot, vt ita dicamus, malitiæ mortales sint in actu quem quis confitetur, manifestandum, siue eiusdem, siue diuersæ speciei.

*que mul-
tiplicat pec-
catum in
eadem spe-
ciei*

Tertiò, quantitas quæ auget in infinitum, per quam fit, vt quod alioquin veniale esset, fiat letale omninò confitenda est, vt in furto, illata iniuria vel violentia. Potest enim quod ex sua natura veniale tantummodo peccatum est, in casu aliquo mortiferum esse, vel ex erronea operantis conscientia, vel prauo fine proposito, vel scandalo dato, vel denique cōtemptu præcepti seu præcipientis. Cum verò intersit omnium hoc ipsum probè nosse, clarius exponet hoc Catechista exemplis ab ijs petitis, qui conscientia casus enodant.

*Quantitas
in infinitum
auget.*

Quartò, quantitas quæ non quidem auget in infinitum, sed idem peccatum mortale facit æquipollere multis peccatis eiusdem spe-

*Quantitas
efficiens
num pecca-*

spe-

*sum mor-
tale equi-
pollere plu-
ribus.*

speciei minoribus, iuxta probabilem ac fer-
me certam sententiam, in confessione est ex-
primenda. Qui enim mille aureos furatus
est, forte non minus peccavit, quam qui de-
cies centum, proinde non videtur sufficien-
ter suam conscientiam manifestare, si dicat,
se semel magnam pecuniæ summam sustu-
lisse. Quia verò non minus, imò magis gra-

*Quantitatis
affectus pec-
catis.*

uat peccatum magnitudo affectus, quo pec-
catur, quã magnitudo effectus, quando hæc
est manifestissima, & vt ita dicamus insolita,
dignum est vt manifestetur. Verum quia
gradum affectuum nostrorum non facile
metiri possumus, nõ sunt de hac re inquie-
tandi qui confitentur, sed monendi, vt cogi-
tent, quanto affectu Deum offenderint, tan-
to & maiori eos pœniteat.

Locus.

Quintò, circumstantia loci sacri in furto,
sanguinis, aut seminis humani effusione ex-
plicanda, quando hæc actu exteriori sunt
completa. Loco enim corporali, non nisi ex-
ternis & corporalibus fit propriè irreueren-
tia. De interioribus anxie curandum non
est: Confiteatur quisq; quam potest plenius
& manifestius, & Sacerdos sit contentus in
his omnibus mediocri cognitione.

Sextò, circumstantia personæ, quæ pec-
cat, aut circa quam peccatur, etiam si grauet
peccatum, si tamen non grauet infinitum,
vel variet speciem, non est necessariò confi-
tenda,

tenda, vt cum nouam transgressionem inducit, quod fit, quando peccatur contra ea, ad quæ ex statu suo quis obligatur. Si itaque Sacerdos fornicetur, aut religiosus furetur, explicanda est personæ circumstantia, quia contra votum agit vterque. Si periuret aut alium temerè iudicet non item, etsi hæc ipsa in illis, sint grauiora.

Vide S. Tho. 22 q. 136. Tempus.

Septimò, an sacri temporis circumstantia sit confitenda, quando quispiam peccauit, diuersæ sunt Doctorum opiniones. Vnde etsi fortè non sit necessarium, expedit tamen vt sentiat dolorem pœnitens, quod & festis diebus ne quidem à peccando deslitterit, & laudabiliter se de hac impietate accusabit.

Octauò, publicè & coram alijs peccare, atque ita sui peccati alios participes facere, siue inducere quouis modo, scandala sunt. Scādala sunt noua peccata, ac proinde Confessario detegenda.

Scandalū. Conscientia. Peccati eiusdem cruce bra reite; ratio.

Nonò, qui ex eo solo peccat, quia contra conscientiam est, quod facit, necessariò id explicabit. Qui sæpè in idem facinus recidit, expedit vt idipsum aperiat, & conueniens adhibeatur medela. Vulneribus namque inueteratis, efficaciori remedio opus est.

Nunquam in Confessione scienter peccatum subicere licet?

Cum sine graui scandalo vel periculo pecca-

peccatum manifestari non potest, siue id sit ex culpa Sacerdotis, qui probabiliter prouocandus ad malum, vel Confessionem reuelaturus putatur: siue ex alia quauis causa, querendus est alius cui confiteatur, aut si alium habere non potest, alijs peccatis manifestatis, omittendum id unde periculum, & confitendum quando absque periculo poterit. Non tamē ideo peccati alicuius manifestatio omittenda, vel circumstantia, quod inde cognosci possit persona fortè, cum qua peccatum est, nisi hoc ipso reueletur confessio. In hoc enim casu omninò omittendum est hoc peccatum, vel quærendus alius Confessarius, à quo persona quæ illi confessã est, non cognoscatur, ac proinde neque peccatum eius.

In reseruatís an vni omnia, an reseruata superiori & alia inferiori exponenda sint, & an absolutio etiam diuidi possit, quæstio est; qui facit quod in sua diœcesi receptum, factis tutus est.

Quid si oblitus fuero alicuius peccati?

Si diligenter conscientiam tuam, antequam confitereris discussisti, quantum scilicet bona fide putasti sufficere, vt in memoriam reuocares peccata tua, confessus es integrè quantum in te est, nec opus est confessionem iterare, sed quod oblitus fueras explicandum. Si verò ex negligentia & incuria disc-

Notandũ.

discutiendi conscientiam, & rememorandi peccata contingit obliuio, tunc negligentia illa imputatur, & perinde est, ac si noluiſſes integrè confiteri, quare nulla est illa confessio & tota repetenda.

Quantam verò in discutienda conscientia diligentiam adhibere oporteat, iam supra expositum est.

Hæc diligentia adhibenda est, non solum circa peccata, vt enumerentur, sed & circa dolorem seu contritionem, & examē ipsum, quo expendenda sufficientia vtriusque.

DE SATISFACTIONE.

Quæ est satisfactio Sacramentalis?

Quam minister Christi ex vi & potestate clauium iniungit pœnitenti, pro qualitate criminum & propriæ dispositionis: *Miseri- cordia enim & veritate redimitur iniquitas.* Maiaſ Prou. 16. & de- Esaiæ. 1. clamat: *Subuenite oppresso, iudicate pupillo, & defendite viduam, & venite & arguite me dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, veluti nix dealbabuntur, & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.*

Ad quid profunt satisfactiones?

Ad abolendam pœnam, quæ remanet culpa remissa, ne ad recidendum simus faciles, peccatorum simus memores, ad humiliationem, imitationem, & configuratio-

Z nem

2. Cor. 4. nem Christi crucifixi, vt videlicet mortificationem Iesu Christi, semper in corpore nostro circumferamus.

Nunquid & vltro satisfactioes susceptæ profunt?

Profunt vtique, sed quæ imponuntur Deo sunt gratiora, ac pœnitenti multo utiliora, quia fiunt ex obedientia, qua se subdit iudicio Christi, & ex virtute clauium, & maiori participatione passionis Christi, & meritum ipsius, quæ sine dubio virtute clauium applicatur pœnitenti vltro propriam eius dispositionem.

Satisfactionis qualia sunt opera?

Satisfactio est recompensatio quædam diuinæ offensæ. Qui verò alterum offendit, vsurpans quod sibi illicitum erat, non satis est, vt ab iniusta vsurpatione desistat, sed & offerat oportet, illi aliquid, quod alias licitè sibi poterat retinere: atque ita sibi auferat bonum, quo alioquin licitè vti poterat, vt ita deiciatur & humilietur coram eo quem iniuste læsit. Hoc verò non est aliud quam opus quoddam pœnale, siue ieiunium quo corpus affligitur: siue oratio & compunctio, qua animus: siue elemosyna qua anima & corpus.

Infr.

Infirmities, aduersitates, aliaq; flagella diuinitus immissa satisfaciunt etiam pro pœna peccatis debita?

Quamuis pœna offendenti ab offenso inflicta, vindicta potius quam satisfactio censenda sit, diuina tamen pietate pro satisfactione acceptatur, cum voluntariè ac patienter perferuntur aduersitates.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ Vnctionis.

Quare extremam vocas vñtionem?

VEL quia datur in extremis agētibus, vel quia inter alias Ecclesiæ vñctiones hæc sit vltima: vnguntur enim Catechumeni baptizandi, vnguntur & baptizati à Presbyteris, vnguntur ab Episcopis in Confirmatione, vnguntur denique Sacerdotes & Episcopi, vltimo demum infirmi.

Visibile elementum seu materia huius Sacramenti quæ est?

Oleum oliuarum consecratum ab Episcopo, iuxta quod Iacobus Apostolus in Ecclesia obseruandum apertè dicit, non instituens quidem, sed promulgans institutionem Christi: *Infirmatur quis (inquit) in vobis, Iacob. 5.*

Z 2 indu-

inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio dei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus. & si in peccatis fuerit, remittuntur ei.

Qua est forma huius Sacramenti?

Per istam sanctam vnctionem, & suam pijsissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum: & similiter in alijs membris.

Qua significatio & effectus eius?

Tria aperte attribuit huic Sacramento B. Iacobus: Infirmi saluationem, alleuiationem, & remissionem peccatorum, si quae habet.

Proprius itaque effectus Sacramenti huius est, confortatio & robur contra vltimae infirmitatis, & mortis ipsius, atque humanae trepidationis, ex peccatorum praeteritorum, & imminentis Dei iudicij consideratione, tristitiam, angustiam, & deiectionem: ita videlicet vt roboratus animus, nec ipso dolore infirmitatis, nec alijs quae iam dicta sunt, grauetur, sed in hilaritate, & bona spei fiducia omnia superet, quod significant ea verba: *Alleuiabit eum Dominus.* Hoc est, quod dicunt quidam deleri reliquias peccatorum, seu debilitatem illam, quae ex peccatis orta, tunc maximè nocere posset, cū instant tanti conflictus, & ab infirmitate ipsa & ab hostibus.

Hic

Hic effectus quomodo significatur?

Vnctione ipsa atque oleo, quod ad labores est vtile, & hilaritatis effectiuū, & in medicamentis non solum est maximè lenitiuū, sed & penetratiuum atque efficax. Et propterea cum maximè exhilarari oportet hominem, & leniri difficultates in operanda salute nostra, & infirmitatem ipsam penitus roborari, in articulo videlicet mortis, adhibetur hoc Sacramentum.

*Theoph. in
Mar. 6.*

Cum vngitur infirmus quid cogitare debet?

Se veluti athletam Christi consideret, ad vltimum certamen munitum, multo magis interius abundantia gratiæ, quam exterius oleo, ideoq; nihil sibi timendum esse à quavis contraria virtute. *A fructu enim frumētī, vini, & olei multiplicati fideles in pace requiescunt.* Sic qui nos adipe frumenti satiat, veluti alimēto in hoc sæculo posuit fines, nostrum ingressum per Baptismum, & egressum per Sacramentum Vnctionis, pacem.

psal. 4.

Quid sibi vult illud: Oratio fidei saluabit infirmum?

Alius indicatur huius Sacramenti effectus, confert enim & corpori sanitatē, cum id aut saluti infirmi, aut Ecclesiæ conuenit, non quidem miraculosè & subito, sed Dei prouidentia virtute Sacramenti.

Quæ peccata remittuntur per Extremam Vnctionem?

Z 3 *Si in*

Si in peccatis (inquit B. Iacobus) *est, remittuntur ei*, nulla distinctione peccatorum posita, credendum itaque est virtute gratiæ hoc Sacramento collatæ, si quæ reliqua sunt peccata, quæ vel per ignorantiam, vel per infirmitatem in alijs Sacramentis remissa non sunt, ea remitti, & quoad culpam, & quoad pœnam, & quoad reliquias, dum in animo excitatur deuotio & charitas.

Minister huius Sacramenti quis est?

Quia confertur peccatorum remissio, minister non debet esse Sacerdote inferior, & quia commune est omnibus fidelibus, non debuit Episcopis referuari, ad Presbyteros itaque, quod & sanctus Iacobus dicit, eius administratio pertinet.

Quibus hoc Sacramentum conferendum?

Quod ad leuamen extremæ infirmitatis institutum solis infirmis, qui iuxta humanam æstimationem, morti appropinquare videntur, dandum est. Et quanquam nimia festinatio non sit probanda, magis tamen euitanda est nimia dilatio. Hoc Sacramentum est medicina Christianis desideranda & amplectenda, cum de morte rationabiliter timetur, non verò solum cum desperatum est de vita. Non enim qui hoc Sacramentum suscipiunt, persuadere sibi debent, sine spe vitæ se esse debere, imò verò magis

Nota.

cre-

credendum est, quod & ad viuēdum, si Deo placuerit, & citius conualefcendum ab infirmitate proficit, vel certè ad tranquillius & quietius moriendum.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Quis huius Sacramenti auctor atque institutor est?

Christum ipsum esse B. Paulus testatur, cum ait : *Idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed Spiritus. Si autem ministratio mortis in gloria fuit, quanto magis ministratio Spiritus erit in gloria?* 2. Cor. 3.

Quare Ordines voluit Saluator noster esse?

Primò, hoc ad dignitatem humanæ naturæ, atque Ecclesiæ) quam Deus templum & sponsam suam vocat) non parum conducit. Dum scilicet Deus tantam potestatem dat hominibus.

Secundò, ad mutuam vnitatem, & charitatem conseruandam, plurimum valet, dum alij ab alijs necesse habent diuina suscipere: & alij ea possunt præstare alijs.

Tertiò, denique, ad humilitatem quæ tantopere ad dona Dei consequenda, seruanda & augenda necessaria est.

Cur diuersis Ordinibus, functionibus & gradibus ministri sunt distincti?

Primò, relucet non parum diuina Sapientia, in hac diuersa quidem, sed vnitissima graduum & ordinum distinctione, ostenditurque illius gloria, & considerantes in admiratione prouocantur, non minus quam in pulchritudine totius vniuersi, quæ ex diuersis quidem, sed ordinatissimis perfectionibus creaturarum constat. De hoc enim dictum est in Psalmo, vt August. legit, *Deus in gradibus eius cognoscetur. Ecclesiæ scilicet, quæ tanta graduum diuersitate ordinata est: & in altero Psal. Omnis gloria eius (scilicet Ecclesiæ) ab intus in simbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Hoc itaque meritò in admirationem adducit considerantes multò magis, quam ordo familiæ Salomonis reginam illam Saba, in stuporem adduxit.

Secundo, sed & hoc humana infirmitas requirit, qua fit vt vnus nō possit multa implere, & multis satisfacere: opus igitur est, vt alij ab alijs sumant auxilia. Quare multitudo ista ordinata ministrorum, mirum in modū confirmari Ecclesiam, vt merito propter hoc de ea dictum sit: *Terribilis vt castrorum acies ordinata.*

Tertiò, denique hac ratione diuinæ perfectiones & dona pluribus communicantur, & excitantur plurimi ad perfectam sanctam-

ctam-

Etamq; emulationem, de qua Paulus dixit: *Emulamini charisnata meliora*: atque ita multi præparantur ad perfectionem, & paulatim per tot gradus, ad meliora prouehuntur. Estque in Ecclesia latitudo maxima, de qua dictum illud etiã intelligi potest, quod tamen principaliter de cœlesti Hierusalem dictum est à Christo: *In domo Patris mei mansiones sunt multæ.*

Quid sentiendum de illis qui ordines è medio sublatos volunt?

Qui Ordinem ex Ecclesia tollere conantur, nil aliud agunt, quam vt ex domo Dei pulcherrima ac fortissima, Babilonem efficiant confusionis & deformitatis.

Quanta est huius Sacramenti dignitas?

Post Sacramentum Eucharistiæ, ad quod omnia alia ordinantur, hoc omnium est maximum, quippe quod ad illa omnia tradenda & perficienda est institutum.

Quæ est Ordinum necessitas?

Vt actus Ecclesiastici legitima auctoritate in Ecclesia, quæ domus DEI est, exercentur. Nullus siquidem in Ecclesia potestatem habet actum Ecclesiasticum exercendi, nisi vel à Christo Domino domus suæ, vel ipsa Ecclesia ei sit commissum. Porro, CHRISTVS DOMINVS post resurrectionem dedit Apostolis potestatem remittendi & retinendi peccata, consecrandi in Cœna, Baptizan-

Nota diligenter.

di & docendi cum eos mitteret. Denique gubernandi Ecclesiam, regni cœlorum traditis clauibus. Hæc autem semper necessaria sunt in Ecclesia, opus fuit itaque hanc potestatem in Ecclesia perpetuò manere, quod fieri non potest, nisi per eos in alios transfundatur. Soli igitur illi hanc habent potestatem, qui eam legitima traditione Apostolorum, vel ab ipsis, vel ab eis, quibus illi tradiderunt, suscipiant.

Quid? nullo modo actus Ecclesiasticos exercere potest non ordinatus?

Sunt quidam actus, qui omnem virtutem naturalem excedunt, vt nihil omninò fiat, sine diuina virtute, vt consecrare Christi corpus, absoluerè à peccatis: quos si non ordinatus exercere tentet, incassum laborat, ac nihil prorsus efficit. Sunt alij qui naturaliter fieri possunt, sed nec licitè, nec iustè vsurpantur, nisi ab ijs qui vocati, ordinati, & missi sunt. Qualia sunt baptizare extra casum necessitatis, prædicare Euangelium, & omnes actus inferiorum ordinum. Potest quidem fieri, vt aliquis in domo, cui administratio non commissa adulterinis clauibus aperiat & dispenset, sed veluti fur & latro id faciet, iuxta illud Domini: *Qui non intrat per ostium in ouile ouium hic fur est & latro* Quicumque igitur quicumque exercet in Ecclesia, illa non ordi-

Iean. 10.

ordinante, nec præcipiente, aliunde intrat, & non per ostium.

Potestas hæc à quibus confertur?

Ab his solis qui præfunt, & quidem visibili & manifesto aliquo signo tradi oportet. Ecclesia enim est domus Dei ordinata, hominibus visibilibus & corporalibus composita, unde necesse est, vt ab aliquo gubernetur, & quidem iuxta humanum morem. In humana autè domo vel republica, cum potestas alicui traditur quicquã administrandi, fit hoc verbis & signis quibusdam, non rarò etiam solemnitates adhibentur, vt in inauguratione Doctorum, Equitum, Regum, Imperatorum. Hoc igitur in Ecclesia necesse est aliqua ratione fieri.

Quid est potestas Ordinis?

Spirituale quoddam donum, quod accipientem in gradu aliquo supra populum constituit: vt ordinari nihil aliud sit, quam potestatem, quæ character est, accipere ab Ecclesia aliquo sensibili signo.

Quid confert Ordo?

Potestatis huius traditione, ac characteris impressione datur auxilium & gratia, qua ordinatus vel iustificatur, vel proficit in iustitia, vt actus illius ordinis dignè ac rectè obeat. Quocirca ordinatus sibi dictum putet: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est* 1. Tim. 4.

ta est

ta est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij. Et iterum: Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.

Quales ordinandi esse debent?

Masculi, legitima ætate, conuenienti doctrina, sine crimine ac pronitate ex peruerso habitu ad vitia, & sine impedimentis iure ipso statutis, vt sunt seruitus, defectus natalium, & irregularitas. Qui huiusmodi non sunt, suscipiendo graue committunt sacrilegium. Similiter & ordinantes nisi de his diligenter discutiant ordinandos. Et quod ad vitæ sanctitatem attinet, non solum ipsa peccata mortalia actu siue reatu præsentia, sed etiam pronitas in ea, & peruersa habitus meritò impedit, à tantæ sanctitatis ministerijs & gradibus. Hoc significant apertè Pauli verba ad Titum & Timotheum, presbyteris & Diaconibus dicta: Non cupidum, non elatum, non vinolentum, non percussorem.

Huius neglectus omnium malorum est origo.

Examen ordinandorum quale requiritur?

Proculdubiò talis requiritur discussio, qua prudenter & veraciter iudicare possit, qui vel subditum suum ordinat, vel permittit ab alio ordinari, idoneum illum esse, ad huiusmodi onus officij.

Quid sibi vult corona Clericorum?

Est signum regalis dignitatis, & eo ostendunt

dunt Ecclesiæ ministri, se ad cœlestium re-
rum contemplationem paratos, superiores
mentis suæ vires liberas habere, vt in Deum
tendant, nec velamen aliquod inter Deum
& illos esse. Similiter & præcisio capillorū,
superfluarum omnium cogitationum & cu-
rarum, quibus à diuinorum contemplatio-
ne impediri possent, præcisionem significat.

*Rab. lib. 1.
de Inst.
Cler. c. 3.
Mag. d. 2.
& Schol.
ibidem.
Dionysius
Areopag.*

DE SACRAMEN- TO MATRIMONII.

*Quem habet in Sacramentis locum
Matrimonium?*

VLtimum certè & necessitate & dignita-
te. Necessitate quidem, quia duo hæc
Ordo & Matrimonium, non singulis homi-
nibus, sed toti Ecclesiæ sunt necessaria: & in-
ter ea illud consulitur vt perfectius: hoc ve-
rò infirmitati nostræ conceditur, sed signi-
ficatione præcipuum. Significat enim diui-
næ & humanæ naturæ in Christo individuã
vnionem, & Christi vt capitis cum Ecclesia
arctissimam coniunctionem.

Quem effectum operatur?

Contrahentibus dignè datur in eo gratia
& auxilium supernaturale ac gratuitum, ad
dignè, & sanctè vtendum Matrimonio, &
perpe-

perpetuò seruandam fidem, ac ad non recedendum à perpetua vinculi huius indissolubilitate.

Quæ sunt ad integritatem Matrimonij necessaria?

Primò, consensus legitimus contrahentium, qui per verba aut alia signa exteriora, quæ formæ locum obtinent, exprimitur. Vnde 1. nec pueri ante vsu[m] rationis, nec amentes aut furiosi, qui lucida interualla non habent, possunt matrimonium contrahere. 2. Vt absit error personæ aut conditionis seruilis, quam liberam esse putauit contrahens. Vis etiam & metus, si in contractu interueniunt, reddunt matrimonium nullum. Tertiò, Conditio appositæ matrimoniali contractui, suspendit consensum vsque ad sui expletionem, modo conditio illa possibilis sit & honesta. Inhonestæ verò & illicitæ, si sint contra substantiam ipsius matrimonij, & propria eius bona, reddunt ipsum nullum: aliæ inhonestæ reijciuntur tanquam non adiectæ.

Secundò, vt absint impedimenta, quæ illegitimas reddant personas & ineptas ad matrimonium contrahendum, vt sunt præcedens & perpetua impotentia ad actum matrimoniale[m], votum solenne, ordo sacer, & ligamen seu matrimonium iam contractu[m]. Tertiò, vt absint impedimenta, quæ et si non

*vide Prax.
num. 58.*

non simpliciter reddunt inhabilem ad contrahendum matrimonium, sed in ordine ad alterum, vel quia contrahentes omninò dispares sunt, & ideò inepti vt coniungantur: vt sunt cultus disparitas, vel tam propinqui, vt non conueniat eos arctius coniungi: vt sunt affinitas, cognatio, naturalis, spiritualis, & legalis & publicæ iustitiæ honestas. Crimē item quod quatuor casus in se continet. Primò, Homicidium solum: quando scilicet vterq; tam coniunx, qui reliquus est, quam qui cum illo post mortem alterius vult contrahere, operam dederunt homicido coniugis. Secundo, Homicidio coniunctum adulterium: Si enim alter coniugum adulteratus est, & deinde machinatus in mortem alterius, nullo modo cum adultero matrimoniū contrahi potest. Tertiò, cum adultero datur fides de contrahendo post mortem alterius. Quartò, multo magis si de facto contrahatur matrimonium reddit nullum.

Que sunt impedientia contrahendum, sed non dirimentia contractum?

Præter interdictum Ecclesiæ, & tempus, quo non licet matrimonium solenniter celebrare, numerantur hæc septem delicta, quibus in Matrimonium ipsū peccatur.

1. Incestus cum coniugis consanguineo.

2. Vxo-

2. Vxorididum. 3. Occisio Clerici. 4. Solemnis pœnitentia, 5. Susceptio filij ex sacro fonte in fraudem matrimonij. 6. Raptus alienæ sponsæ. 7. Scienter cum moniali contrahere. Iure autem naturali impediunt matrimonium contrahendum votum simplex castitatis, aut religionis quod castitatem includit, & sponsalia de futuro.

Quid sunt sponsalia?

Promissio futurarum nuptiarum & matrimonij, quæ & in exteriori Ecclesiæ iudicio, & in conscientia coram Deo obligat ad sui impletionem.

Qui possunt sponsalia contrahere?

Omnes illi qui contrahere matrimoniū licitè possunt. Vnde si impedimentum etiam solum impediens adsit, irrita facit sponsalia. Non enim valet promissio rei, quæ iure prohibetur impleri. In sola ætate est discrimen. Nam cum ad matrimonia contrahenda ætas pubertatis requiratur, quatuordecim annorum in viro, duodecim in muliere: ad sponsalia sufficit ætas in qua incipit usus rationis, quando scilicet homo potest capere ab alijs rationem aliquam de providentia futurarum rerum. Hæc communiter reputatur ætas septennij, tam in viro, quam in muliere.

Quomodo solvuntur sponsalia?

Per

Per recessum alterius ad remotiores partes, aut longioris temporis lapsum, infirmitatem grauem nimis debilitantem aut deformantem, superuenientem fornicationē, & mutuum amborum consensum. Promissiones parentum vel tutorum, non sunt validæ, nisi ab eis probentur, quorum nomine factæ sunt.

Vt clandestina matrimonia nulla & inania sint, & reliqua de hoc Sacramento pete ex 24. Sess. Concil. Trident. de reformatione Matrimonij. Præcipue verò parochi & Catechistæ, doceant ac inculcent Auditoribus, q̄ sancta synodus hortatur vt coniuges ante benedictionem sacerdotalē in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, & vt antequam contrahunt vel saltem triduo ante matrimonij consumationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pie accedant.

Indignum autem est atque intollerabile & summa cum irreuerētia coniunctum quod parochi quidam dicuntur permittere imo & iuber sponsis vt communicent eodē die, quo nuptiæ solenniter celebrantur, quo die & pridie ita occupantur circa nuptialis conuiuij apparatus aliaque, vt vix de alijs cogitare possint vt non dicam diem totum in

A a con-

conuiuio ac tripudijs transigi. Nec dubium
est scandalizari huiusmodi nomine pluri-
mos.

Nec dissimulent anathematis vinculo
ipso facto parentes aliosuē obstringi, qui
liberos suos, aut alios quoscunque quouis
modo directe aut indirecte cogant quo mi-
nus libere matrimonium contrahatur.

*Ses. 24.
c. 9. de re-
for. Matri-
monij.*

Esseque maxime nefarium matrimonij
libertatem violari, & ab eis iniurias
nasci à quibus iura expectan-
tur.



CA-

scilicet
unt,